

0 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

2 400 40

Distance _____
Numero: _____

Del Coll^o de la Compañía de Ihs de Granada D.

ANTONII
RICCOBONI
ORATIONVM


Volumen Primum 3 - £ 3 00

S E C V N D O E D I T V M,

Ad Clarissimum virum

L A V R E N T I V M M A S S A M

Serenissimæ Reip. Venetæ à Secretis.



P A T A V I I ,
Apud Paullum Meietum. 1592
Superioribus facultatem impertientibus.



Clarissimo Viro,

L A V R E N T I O. M A S S A E.

Serenissimæ Reip. VENETAЕ à Secretis,

* Antonius Riccobonus. S. D. *



Loquentiam, Laurenti Massa ,
vir Eloquentissime , præclare
veteres definierunt copioselo
quentem sapientiā : cumq; sa-
pientiam nominarunt, non v-
nam intellexerunt , quæ in vno rerum genere
versetur , disciplinam: sed vniuersum significa-
runt doctrinarum orbē, in quo quidem qui ex-
cellunt, non modo sapientes merito, atq; elo-
quentes nominantur, verum etiam ad diuinam

* 2 condi-

conditionem propter beneficiorum tum publi-
ce, tum priuatim ab ipsis proficisciū magni-
tudinem proxime accedere existimantur. In
quorum numero te collocauit exquisitæ littera-
turæ pertractatio: vniuersæ Philosophiæ cogni-
tio: artis Medicæ, quæ domi tuæ insigniter flo-
ruit, & in qua oēs neruos iuuentutis, atq; indu-
striæ contendisti, summa notitia: Theologiæ ex-
cellens contéplatio: Poeticæ facultatis præstans
exercitatio: veterum, & nouorum historicorum
assidua peruvolutatio: clarissimorum oratorum
diligens imitatio: deniq; ^{γνωστα} illa, quæ te
oībus amabilē, mihi vero ēt admirabilem red-
dit. Quamobrem, præter maiorum tuorū clari-
tatem; præter splēdorem ordinis, in quo fulges,
ad decus natus, ad honorem educatus, ad laudē,
& nominis æternitatem accōmodatus; præter
ingenium, laborem, fidem, quam tot annos Se-
reniss. Reip. Venetæ promptam, expositamq;
præbuisti, à secretis Serenissimi Principis, Sere-
niss. Senatus, & illustrissimorum Gymn. Pataui-
ni Moderatorū: illud in præcipuis tuis ornamē-
tis ponitur, quod in præclaris sapientiæ, atq; elo-
quentiæ studiis mirabiliter excellas; & non solū

littera-

litteratisimus, verū ēt litterarum, & litterato-
rum hominū perpetuus fautor, adiutor, ampli-
ficator, patronus existas. Cuius rei cum tā multi
alii huius Gymn. Doctores locupletissimi esse
testes queūt, tua benignitate apud illustrissimos
Moderatores exornati, & amplioribus præmiis,
ac dignitate aucti: tū ego, de quo diuinitus meri-
tus es; quem prope iacentē, tua cōmendatione,
& prædicatione, subleuasti, in oculis, quotidianoq;
aspectu oīum gentium, ac nationum, &
in hoc orbis terræ theatro posuisti, in altitudinē
huius sedis, vbi abhinc vñū, & viginti annos ve-
terem eloquentiā tracto, extulisti; cui vel contē-
ptis maleuolorum, & iniquorū hominum vo-
culis, tantopere, & tā benigne semper fauisti, ho-
norem habuisti, cōmoda procuraſti; oībus be-
neficiorum tuorū vinculis deuinctus, & constri-
ctus maximo esse documento possum, quanta,
& quām singularis sit humanitas, & beneficētia
tua. Tamēſi autem, quæ à te in me collata sunt,
quæq; memoria colo sempiterna, oēm supera-
re remunerōnis excellentiam videntur, cū solus,
vel primus, vel in primis mihi homini parū co-
gnito tantam lucē attuleris, & tam singulariter
opitu-

Optulatus sis: tamen, si non re, at saltē grata ani
 mi obseruantia, & omni, quodcunq; à gratissi-
 mo aīo proficisci posit, obsequio tua in me
 merita expleuero: & nihilominus, quantū pos-
 sum, & valeo, tantū conferre ad satisfaciendum
 aliqua ex parte. viro in me beneficentissimo de-
 beo. Quod in perpetuū, donec viuā, me esse fa-
 cturū, pro certo polliceor, atq; confirmo: ac in-
 terim primum volumen orationum mearum,
 ante à Ludouico Fulgineo, vtriusq; nostrum,
 dum viueret, studiosissimo, tibi, tamquām ma-
 gno eloquentiæ patrono, dicatum, hac secunda
 editione, præclarissimi nominis tui æternæ me-
 moriæ iterum consecro: teq; etiam, atq; etiam
 rogo, vt Riccobonum tuum, qui nihil vnquā
 antiquius habuit, quām vt se tibi memorem,
 gratumq; præberet, tua maxima, vt iampridem
 facere instituisti, humanitate, & mansuetudine
 complectare. Vale. Patauii. Mense Maio.
 M. D. XCII.




Index



INDEX ORATIONVM



- | | |
|--|--|
| I.
 | D Aloysium Mocenicum
Venetiarum Principe. 1. |
| II.
 | D e studijs liberalium artiū. 8. |
| iii.
 | D e studio Humanitatis. 14. |
| IV
 | D e studio Artis Rhetorica. 20 |
| V. Cum inciperet explicare Topica Cicero | |
| | nis. 26. |
| VI. De Naupactea victoria. 32. | |
| VII. In obitu Pii V. Pontificis Max. 39. | |
| VIII. In primordiis Academia Animoso- | |
| | rum. 44. |
| IX. De Insigni Academicorum Animo- | |
| | forum. 50. |
| X. De Legum Laudibus. 55. | |
| | <i>De</i> |

- XI. De consolatione edita sub nomine Ciceronis disceptatio prima. 63.
- XII. De consolatione edita sub nomine Ciceronis disceptatio secunda. 70.
- XIII. De consolatione edita sub nomine Ciceronis disceptatio tertia. 85.
- XIV. De consolatione edita sub nomine Ciceronis disceptatio quarta. 97.



A D
ALOYSIVM
MOCENICVM
VENETIARVM
 Principem

Antonij Riccoboni Patriæ nomine
 ORATIO.



VE M A D M O D V M omnes Christiani ciuitates, Aloysi Mocenice, Princeps Serenissime, ad nuncium de bello graui, & periculo huic Reip. à potentissimo Turcarum tyranno indicto cum ingemuerunt, quia constans omnium hominum opinio esset, nullum huic imperio periculum à Turcis imminere, quo non eodem omnes penitus Christiani populi vrgerentur; tum lætatae sunt, quod hac oblata occasione hæc præstantissima, atq; opulentissima Resp. nomen christianum stabilitura esse videretur: sic, statim ut auditum est, te naui aduersisimis ventis iactatae gubernatorem impositum esse, qui bonitate velles, prudentia scires, auctoritate posses in tantis procellis magni gubernaculi pondus sustinere, cum tanta animorum voluntas ab omnibus christianis, præsertim huic subiectis imperio,

A perpercta

percepta est , quāta percipi potuit maxima,tum præpotenti Deo immortales gratiæ aetæ sunt, qui tales principem dederit, qualem maximus rerum motus postulabat; atq; Illustrissimus Senatus Venetus summis laudibus elatus est, quite singulari sapientia, fortitudine admirabili, alijsq; prope innumerabilibus uirtutibus perornatum in altissimo dignitatis gradu collocarit. Cum autem vna cum ceteris omnibus Rhodigina ciuitas patria nostra, Veneti imperij studiosissima, tam excellenti bono gauisa sit; & nobis demandarit, vt nomine publico dignitatem tibi tantam gratularemur; atq; perpetuam obedientiam polliceremur, ac deferremus; quid posset nobis miserius, aut laboriosius, aut afflictius fangi, qui onus, quod humeri sustinere nostri non possunt, imprudentes subierimus; nisi exploratum nobis esset, si humanitas, si benignitas, si uirtutes aliae, quæ pertinent ad mansuetudinem morum, ac facilitatem, ullum in terris hoc tempore habent domicilium, eas nimirum Venetijs, & in hoc Senatu Illustrissimo habitare? Evidem, si qua dicendi facuicas in me esset, eam ibi potissimum ostendere deberem, vbi percepissem, id est, in hac nobilissima vrbe, in qua multos annos eloquentiæ operam, studiumq; nauavi; ut, si ad non nullam hominum famam profluxi, id huic ciuitati, vbi germanæ eloquentiæ solida, & expressa effigies cernitur, ac ceptum referam; sed cum in dicendi exercitatione, & doctrina non inficer mediocriter me esse versatum; tantum tamen abest, ut oneri iniuncto me parem esse existimem, vt mihi ne summa quidem oratorum ingenia, cum quibus nullo modo sum comparandus, huic muneri respondere pro dignitate posse uideantur. Etenim si Rhodigina ciuitatis lætitiam, quæ exprimenda est, respicio; eam tam ingentem, atq; immensam animaduerto, vt eius magnitudo uerbis explicari non possit: si tanti gaudij cauſas singulas, & uirtutes, ac laudes tuas cogito; eas tam multas inuenio, ut, quemadmodum in ijs enarrandis oratio deesse nemini potest, sic qui enumerare eas omnes uelit, frustra laboraturus sit: si auditorum maiestatem intueor; mihi esse apud quamplurimos, eosdemq; gravissimos reges uideor, cum hæc Senatorum corona pulcherrima regiam præ se ferat grauitatem; ut, quantum hominibus imperio regio subiectis præstat reges, tantum tu, qui inter hos præclarissimos Senatores auctoritatem

2

ritate regiæ repræsentantes, obtines principatū, præstare regibus uidearis. Quod si summus Orator Demosthenes vnius Senaris Phocionis præsentia ita conturbatus est, ut nihil dicere aliud potuerit, nisi Phocionem suorum uerborum nouaculam esse; si idem unius regis Philippi aspectu sic expauit, ut paucis admodum uerbis expressis obmutuerit; si ille, qui à diuinitate loquendi nomen inuenit, Theophrastus unius regis Alexandri uultu ita commotus est, ut nihil effari potuerit; si alijs denique summis oratoribus alicuius grauisimi uiri intuitu perturbatis non satis ex sententia euentus dicendi procescit: quid mihi in dicendo mediocriter exercitato animi esse oportet, qui tot Senatorum, tamquam regum, ora in me uideo esse conuersa? Frangerer certe, atque in orationis ipsis quasi uestibulo conciderem, nisi humanitas ueltra singularis, patres amplissimi, me recrearet, ac reficeret; qua fretus, quod mihi patria mea mandauit, non recusaui; maluiq; , cum ei essem obsecutus, desiderari prudentiam meam, quam, si id non fecissem, beneuolentiā. Itaque non eloquentia adductus ulla, sed officio impulsus meo, cum Bernardino Fornagerio, Doctore, & Equite præstantissimo, ueni ad hoc munus gratulationis obeundum, ac breuiter ostendendum, nullum maius bonum dari hoc tempore Reip. Venetae, & populis imperio Veneto suppositis, atq; adeo omnibus gentibus, ac nationibus christiano nomine insignitis à præpotenti Deo potuisse, quam Principem tam generosum, ac tot, tantisq; uirtutibus præfulgentem. Etenim cum alia omnia à Deo Opt. Max. originem ducunt: tum uero principatus oīs ab eo, tamquam à prima rerū oīum cauſa manare sine dubio uidetur. Id quod & Cyrus Persarum rex de regno suo apertissime confessus est; & Numa, Draco, Solo, Lycurgus, atque alii ueteres legum latores, de legibus, quæ sunt tamquam inanimati principes, non secus ac principes quasi animatae leges, dum eas sapientiæ diuinæ tribuerunt, sapientissime affirmarunt. Quod si à Deo originem trahunt cetera omnia, quæ in hac mundi universitate reperiuntur, cœlum, terra, maria, & quidquid est in ijs ipsis sine sensu, uel sine ratione; quanto conuenit magis id existimare non modo de cœlestibus mentibus, sed etiam de homine, qui Deo quam simillimus factus est? Et, si alij homines à Deo pendent, quid sentiendum est de principibus, quorum

A 2 poten-

potentia, & virtus sine Deo esse non potest? Quid? quod cum
præ ceteris hominibus principes rationem habeant motus, qui
& superiora pro viribus imitantur, & inferiora omni diligentia
gubernant, & ob id meritò à doctissimis viris non modo ar-
chitecti, uerum etiam humani generis pastores, & curatores,
atq; humanæ uitæ quasi cuiusdam nauis gubernatores dicun-
tur; cumq; ex ijs omnibus, quæ mouentur, unum ab altero mo-
ueatur, usq; ad primam caussam, ad quam peruenire necesse
est, si fugere infinitatem uiolumus: gubernandæ Reip. motum
haberi nullo modo posse, nisi per primi mouentis virtutem,
confitendum est? eò magis quod caussa prior plus influere in
effectum suum, quam caussa posterior existimatur. An uero
corpora inferiora per superiora mouentur, ita ut omnia redu-
cantur ad motum supremi globi: inferiores autem mentes per
superiores non mouebuntur? A' mente igitur Dei rapitur mēs
huius uniuersitatis, quem mundum appellamus: ab hac du-
cuntur cœlestium globorum mentes: quæ impellunt inferio-
res, & maxime principum mentes huiusmodi impulsu penitus
indigentes. Id quod ueteres sub inuolucris, atq; integumentis
prodiderunt, dum à Ioue Apollinem, ab Apolline Musas, à Mu-
sis homines, & eos magis, qui diuinam natnram magis saperet,
afflari dixerunt. Verum, ne longius in re notissima progredia
mūr, quis ignorat, ut quidque ad præstantissimum finem dispo-
situm est, ita pluriuum diuinæ actionis particeps esse? quis au-
tem præstantior finis uideri potest, quam principum finis, qui
bus quæcumque hominum generi necessaria sunt ad bene, bea-
teq; uiuendum, prouidenda sunt, & ad uirtutes homines diri-
gendi, atque à delictis auocandi, & animi omnium congruenti
quadam fortitudinis, temperantiaeq; commixtione componen-
di? Cum autem principatus omnes à Deo profiscantur; id
maxime credendum est fieri in optimis Rep. publicis, qualem
esse Venetam, quam plurimis, iisdemq; firmissimis argumen-
tis confirmari potest. In qua profecto nescias, quid magis admi-
reris; an ueruostatem, cum antiquissima sit; an ingenuitatem,
cum eundem natalem diem & originis suæ, & libertatis colat;
an religionem, cum in uero cultu diuino & nata, & educata sit,
ut merito gloriatum esse in Oecumenica Tridentina Synodo
eruditissimum, atque eloquentissimum Legatum Venetum, Ni-
colaum

3

colaum Pontium, huius Senatus tamquam cœli fulgentissimū
sydus fama est; an imperii gloriam, cum tanta sit maiestate, ut
eam omnes populi, ac nationes suspiciant, & uenerentur. Ac
Romanæ quidem Reip. Veneta uel cognata, si Troianam ori-
ginem species; uel neptis, si Romanam, appellari non immere-
to potest: uerum ut illa hanc magnitudine; ita hæc illam diu-
turnitate imperij superauit. Adde, quod illa modo seruuit re-
gibus, modo perpetuis dictatoribus, modo Triumuiris, & impe-
ratoribus; ac plurimis bellis ciuilibus fuit oppressa: hæc perpe-
tuuo imperauit, & optatissimæ ciuium concordia fructus per-
cepit uberrimos. Vnde autem putamus hanc imperii, & liber-
tatis perpetuitatem manare, uisib; innocentia, integritate, reli-
gione, pietate, alijsq; maximis, clarissimisq; uirtutibus, quæ in
hac Rep. mirabiliter splendent? Evidem, cum ad eam men-
te, & cogitatione me cōuerto, ipsam video ex iustioribus Reb.
publicis temperatam, qualem optimam Remp. esse oportere
doctissimi homines censuerunt. Sicut enim Romana, præser-
tim à Pyrrhi regis bello usque ad tertium punicum, quo tem-
pore cuncti tum patricii, tum equites, tum plebeij in amplifi-
cando, ac propagando imperio studium uno animo colloca-
runt, optimo statu perfrui uisa est, quod in ea consules regiam,
Senatores optimatum, plebs populi auctoritatem, ac potestatē
haberet: ita hæc ipsa optima dignoscitur, quia in ea Serenissi-
mus Princeps regem, Illustrissimus Senatus optimates, Comi-
tia, quæ magna uocantur, ciuilis Reip. faciem afferant; in qua
tametsi infimus populus eam potestatem non habet, quam Ro-
mæ habuisse narratur: tamen libertas, qui est finis populi, aspi-
citur tanta, quanta haberi potest maxima. Quod tantum abest,
ut Remp. imperfectiorem reddat, ut etiam ex hoc ipso perfe-
ctor meo quidem iudicio uideatur. Nam, ut populi libertas
ad optimum Reip. statum pertinet: sic nimia popularis pote-
stas ad perniciem traduci totius Reip. solet. Testis est Roma,
cuius optimus status, translata iam ad populi dominatū Rep.
funditus labefactatus, atq; euersus est. Duo enim Gracchi, Sa-
turninus, Drusus, Tribuni pl. furiosi, atq; amentes, partim
agrarias, & iudicariás leges ferendo, partim ciuitatem socijs
dando, partim frumenta largiendo, præstantissimum optimæ
Reip. consensem perturbauit. Quamobrem cuiusq; Reip. in-
terest,

Iam Rhodiginam, aliaq; loca quā plurima singulari magnitu
dine animi, ac fidentia recipere. Neque uero parum gloriae in
de manasse existimatur, quod ijdem Turcarum furorem sepi
sime represserunt. Id quod cum huius imperij præstantiæ; tum
uero Deo immortalis, qui uobis amplissimi patres, propter plu
rimas, maximasq; uirtutes, quibus hæc Resp. semper fulsit, tam
tam ditionem confecit, attribuendum est: ut, si omnibus alijs
temporibus præpotens Deus mirabiliter uobis fuit, id præci
pue hoc tempore, cum saeuissimus Turcarum tyrannus, qui
regnare solus concupiscit, nulla lacesitus iniuria, sed nativo
odio in nostram religionem inflammatus, christianis omnibus
pestem moliens, & cunctæ Italæ ferrum, flammamq; minitans,
iniustum uobis intulit bellum; tum propter innocentiam ue
stram, tum quia de summa uerae religionis dimicatur, faciu
rus sine dubio esse uideatur. Fauet igitur uobis Deus, amplissi
mi Veneti, & ob id principem dedit, cuius uirtus uel è præstan
ti maiorum hausta nobilitate, uel litteris comparata, & doctri
ni tanta est, ut in eo omnes magnam præsidij, ac dignitatis
suæ spem collocare merito possint. Et uero, Serenissime Prin
ceps, quicunque non modo genus, & maiores tuos, sed etiam
te ipsum, & uirtutes tuas perpendit, quasi signum aliquod te e
llatum esse ad bene de uniuersa Rep. & Christiana religione spe
randum intelligit. Nam, si sapientes ex sapientibus, fortes ex
fortibus, præstantes ex præstantibus progignuntur, quid de te
iudicandum est, qui à tot præclarissimis uiris originem trahis?
Omitto maternam, & uxoriā domum Marcellam, ex qua pro
diit Nicolaus Marcellus, optimus Dux, & Petrus Marcellus, ma
ternus auis tuus, procurator Marcius præstantissimus, atque
alijs quā plurimi ad perpetuam laudem insigues. Ac taceo p
multa Mocenicae familiæ lumina, quæ plura sunt, quā ut ea
complecti una oratione possem. Tantum Mocenicos Princi
pes commemoろ; in quibus Thomas, Petri Procuratoris Mar
cij filius, & Leonardi item Procuratoris frater admirabili fuit
sapientia præditus. Hic cum dicere soleret, non ut Appius
Claudius, ad tollendam desidiam, negotium populo melius,
quā ocium committi, sed ad perfruenda pacis commoda,
nuptias, cognatos, liberos, amicos, diuitias, sanitatem, anno
nam, uoluptates omnes, belli negotium nunquam nisi per
uim

terest, populum una contentum esse libertate, ut merito con
tentus est Venetus populus propter Senatorum innocentiam,
integritatem, abstinentiam, æquabilitatem, mansuetudinem,
clementiam, moderationem, sapientiam, aliasq; innumerabiles
uirtutes, quibus hæc Resp. maximam sibi gloriam comparauit.
Ac profecto, si recte consideremus, non modo Romanorum,
sed etiam Atheniensium, Lacedæmoniorum, Corinthiorum,
atq; aliorum omnium Resp. quæ singula in singulis plurimum
ualuerunt, ea omnia in hac ipsa florere inueniemus. Age enim
situs opportunitate, & ædificiorum magnificentia, atque orna
tu, opibusq; maximis gloriabatur Corinthus: quid opportu
nius admirabili Venetiarum situ, cœli clementia, terræ halitus,
maris afflatus; quid ædificijs tum publicis, tum priuatis magni
ficentius, atq; ornatus; quid opulentius Venetis patricijs, atq;
aliorum ordinum hominibus? Consuetudinibus, atq; institu
tis pulcherrimis, ac præclarissimis gloriabatur Lacedæmon:
quid pulchrius, ac præclarius moribus Venetorum, ad religio
nem, ad magistratus, ad uestitum, ad delectationem populi,
ad alia omnia pertinentibus? Areopagitarum prudentia, ac sa
pientia gloriabantur Athenæ, illorum, qui omnes Reip. partes
quasi ex alta quadam specula intuebantur, & de causis grauio
ribus iudicabant: quid prudentius, & sapientius Venetis Sena
toribus, ac iudicibus, & præsertim Decemviris, qui Areopagum
omnem superant laudis excellentia, & seueritatem
cum clementia ita coniunctam habent, ut nulla tanta sint
laudum præconia, quæ non eis omnino conuenire uidean
tur? Fortitudine, & constantia in rebus gerendis gloriaba
tur Roma: quid fortius, & constantius animis Venetorum?
qui cum alijs bellis grauibus & periculis, tum uero cum im
perium cōspirationis à summo Pontifice, Imperatore, Regibus
Gallæ, ac Hispaniæ, alijsq; principibus, atque uniuerso peni
tus occasu in Venetum imperium factæ repulerunt, magnam
apud omnes gentes perseverantiæ, & roboris laudem sunt cō
secuti: ut, quemadmodum gloriosum fuit Romanis, plurimas
urbes, ac Romam etiam ipsam à Gallis occupatam præter Ca
pitolinam arcem recuperare; sic Venetis ad lacunas aduersa
fortuna redactis maxime ad laudem fuerit insigne, Bergomū,
Brixiam, Vicetiam, Veronam, Patauium, Forum Iulii, Peninsu
lam

um suscipiendum, & honestissimum ocium semper in Rep. pro uitibus retinendum: Francisco Foscari suadenti, ut bellum Florentinorum caussa, atque adeo pro augendis Imperiis Veneti finibus contra Philippum Mediolani Principem in continentia ora iniretur, saepissime est aduersatus; & si dilatandi esset fiaes, id maxime tentandum esse in re maritima, qua plurimū hæc Resp. valeret, ac posset, grauissimis, atq; elegantissimis concioni bus p̄suasit. Neq; uero partui ducendum est, q̄ tametsi consilijs, & studijs cum Foscari dissenserat, quemadmodum dissensisse P. Africanum, & Q. Metellum memoriae proditum est: tamen iacens, & moribundus, conuocatis intra cubiculum illorum non nullis, quos creando principi inter Quadraginta viros præfuturos putabat, quosq; trahere in opinionem suam auctoritate, & eloquentia poterat, cum eum, quamuis sibi infensum, præstanti esse animo, atque ingenio cognosceret, non ab eo Senato uoluntates alienauit, sed præclarissimos viros studiosissime cohortatus est, ut eum ad tantam extollerent dignitatē; ut, quemadmodum Ti. Sempronius Gracchus L. Scipioni-Aſiatico, alioqui propter dissensiones, quas cum P. Scipione Africā no eius fratre exercebat, non æquus, in propulsanda iniuria fuit adiumento, & maximum aduersarium quasi sustinuit cedentem; sic Thomas Mocenicus Franciscum Foscaram à ſe difſidentem in adipiscendo principatus honore adiuuifle, & nobilissimo, ingeniosissimo, præstantissimo aduersario quasi porrectis manibus faciliorem ascensum ad altissimum Reip. gradum reddidisse uideatur. Nec tacendum est, quamuis Thomas pacis amantisſimus effet: tamen eius consilio, justissimis de cauſis bello gesto, uniuersum Forum Iulii, & Carniam effe partam, ac Cenētam, Belumnumq; & Feltriam receptam. Quid dicam de Petro Mocenico, Leonardi Procuratoris Marcij, quem modo hominaui, filio? qui Nicolao Cauali, rei maritimæ imperator suffectus, Eubœam insulam iam amissam, & uniuersam Græciam Ottomanis copiis oppressam, fortitudine, ac prudentia sua in pristinam libertatem vindicauit; qui Naupactum Turcarum pene armis expugnatum seruauit, insultansq; tota Peloponneso Turcas inhibuit; qui Cyprum insulam ab imminentis seruitutis iugo eripuit, & Veneto Imperio, Corneliamq; familiæ adiunxit; qui Smyrnam expugnauit, & alia loca

in

in Veneti imperij ditionē rededit; qui Epirum, & Scodram oppidum à durissima Turcarum obsidione liberauit; qui, quam diu rei maritimæ præfuit, Turcas mirabiliter repressit, atque uniuerso mari Aegeo ita exclusit, vt superare Hellespontum non auderent; qui denique tanta cum gloria, & felicitate in patriam reuersus, propter plurima, & clarissima in Remp. merita, Nicolao Marcello Principe vita functo, principatum est consecutus; ac, tametsi eum paucos menses gessit, propter grauissimum morbum, quem in Boliano amne contraxerat: ita tamen gessit, ut maximum sibi, & familiæ Mocenicae decus comparat. Quamobrem laudent quidem Athenæ Miltiadem, & Themistoclem, fortissimos, ac sapientissimos Imperatores, quorum alter trecenta millia Persarum Marathone deuicit, alter patrīam Principem Graciæ reddidit; laudent Epaminondā Thebæ, qui inuictam ad suum tempus Lacedæmonis virtutem secundis prælijs apud Leuctram, & Mantineam contudit; laudet Lacedæmon Leonida, cuius illa præclara vox circumfertur, Prædete Commititones tamquam apud inferos coenaturi; laudet Decios Roma, quorum alter in bello Latino, alter in eo bello, quod Samnites, Galli, Etrusci, & Umbri collatis armis intulerant, se gessit fortissime, atque aliæ urbes alios Imperatores in coelum laudibns efferant: Venetiæ autem de Petro Mocenico, maximo fortitudinis, ac prudentiæ exemplo, nunquam non prædicabunt; atque eam felicitatem in eo commemorabunt, quam illi non sunt experti. Illi enim partim in carcere, & vinculis, partim in exilio, partim in acie occubuerunt: hic uero cum in pergraue morbum Reip. cauſa incidisset, nec inuidia, nec hostium armis oppressus, patriæ est reseruatus ad altissimum dignitatis gradum perfruendum; quo duce pulcherrimum Moceniorum numisma excusum dicitur, familiæ de Rep. optime meritæ clarissimum monumentum. Iam vero quis dignis extollet laudibus Serenissimum Principem, Ioannem Mocenicum, Petri Principis fratrem, proauum tuum? cuius opera pax cum Turcarum Rege honestis conditionibus est confecta, bellum pro Florentinis susceptum, Curite accepta, Adria, & Peninsula Rhodigina Veneto Imperio adiecta: vt cum ille dignus sit, qui non solum Venetorum, sed omnium gentium litteris, atq; linguis celebretur; nos præcipue, qui ad tantam Imperij beni-

Bgnita-

guitatem, ad tantam Senatorum mansuetudinem, ad tantam felicitatem ab illo redacti sumus; quantum uoce, quantum ingenio possumus, tantum ad illius prædicationem perpetuam conferre, ut facimus, debeamus: omnia enim commoda, atque ornamenta, quæ ab hoc Illustrissimo Senatu in nos redundarunt, & quotidie magis redundant, illi accepta referimus. Quæ admodum igitur Serenissimi maiores tui, Serenissime Princeps, Imperium Venetum mirabiliter auxerunt, ut ob id augs-
tissimi appellari merito possint: ita speramus te hoc tempore Remp. maxime aucturum, & celeberrimæ famæ illorum, clarissimoq; nomini Leonardi aui, & Thomæ patris tui responsurum; quorum alteri cùm pro Marcia procuratione, & rei maritimæ generali Imperio rectissime administrato, atque alijs in Remp. meritis, tum uero, quia Nicolaum, Ioannem, & te ipsum splendidissima fruüs ciuitatis lumina, procrearit, habendæ sunt gratiæ: alterum Procuratorem item Marcum omnibus, & singularibus in perpetuum laudis ornamenti quæ dignissimum, duo Leonardi, alter Nicolai, alter Ioannis, præclarissimorum fratrum tuorum, filij, vt nomine, ita etiam uirtutibus repræsentant. Ut autem hanc de te spem habeamus, illud potissimum efficit, quod animaduertimus, te ex Illustrissimis maiores ortum non generis splendore elatum in ocio, atque desidia tibi languescendum putasse, sed, quod clariores tibi faces præluxerunt, eò magis elaborasse, ut tanta te claritate omnino dignum ostenderes. Egregie. Cum enim nobilissimi homines in excuso ætatem agant, ita ut eorum facta cuncti mortales uerint; eumq; ab eis res maximæ propter nominis fulgorem expectentur; pro uiribus enitendum est, ne quid humile, ne quid abiectum, ne quid sua indignum nobilitate commisissè videantur: ut melius quandoque sit ex minus claris oriri parentibus, ut si nihil eximie egerimus, nihil requiratur, si quid eximie, id tamquam sponte, non ex debitione præstitum magna laudi sit, quæ ex maiorum rebus gestis eam de nobis expectationem excitari, quam uel sustinere nullo modo possumus, uel, si sustineamus, nihil egisse noui existemur. Nisi forte ea uirtutum præstantia in nobis reperiatur, ut superemine maiorum ipsorum, quamvis præstantissimorum, gloriam aliquo modo posse uideamur. Quod de te certo speratur, Se-
renis-

renissime Princeps, qui in omnibus, quos administrasti, magistratibus omnium opinionem vicisti: vt si idem in principatu gerendo feceris, quod certe facies, non eos solum, quos modo commemoraui, serenissimos, ac præclarissimos maiores tuos, sed omnes, qui vnquam fuerint, Principes superatus sis. Quid enim aliud existimari potest de eo, qui ita in litterarum studijs versatus est, ut omnium liberalium artium peritissimus habeatur; qui tantum studijs ad constantiam, & moderationem animi, tantum ad magnanimitatem, & perseverantiam, tantum ad æquitatem, & liberalitatem, tantum ad intelligentiam, & prouidentiam, atq; adeo ad sapientiam, & virtutes omnes profecit, ut omnibus admirabilis videatur; qui, cum eos nunquam sibi imitandos censuerit, qui in studijs abditi in aciem, atque in solem non prodeunt, nihilq; ad ciuium suorum salutem, & commodum conferunt, quidquid assidua meditatione, & libro rum tractatione cognosceret, quidquid ingenio efficere, atq; industria posset, patriæ, qua nihil vnquam charius post Deum immortalem habuit, consecrauit. Adde, quod ita natura uerax natus es, vt merito profiteri possis, te nihil vnquam falsi protulisse; ita lenis, ac mansuetus, ut tui propriū sit, nulla unquam de caussa succensusse; quarum rerum altera efficis, ut superare Catonem, altera, ut Cæsarem uidearis. Quapropter nemini mirandum est, te ita in tota comitorum ratione floruisse, ut maximos honores & facillime ceperis, & rectissime administraris. Nam in oībus, quibus functus es, magistratibus, ita te gessisti, ut ad maiores quotidie tibi dignitates aditum patefeceris. Vt n. præterea in hac temporis angustia expectationē, quam Othonici belli tempore ordinibus præpositus de tua summa uirtute, summoq; ingenio ab adolescentia concitasti, quanta prudenter, æquitate, innocentia, benignitate, Vicetiam, Cremonam, Patauium rexisti? quæ urbes gratissimis semper animis clarissimum nomen tuum sunt prosequutæ, teq; tamquam alterum Aristidem, & alterum Niciam, quorum unum quondam Athenis iustissimum, alterum popularium commoderum studiosissimum fuisse, prisca monumenta testantur, non desinūt, neque unquam definent celebrare, ut nulla profecto ætas maximas laudes tuas obscuratura esse uideatur. Cum aut alia, quæ admirabiliter illis in urbibus gessisti, ne iusto sim longior, ta-

eam, illud tantum, quod potissimum prædicatur, attingo, te Vi
cetia superuacanea officia non pauca, quæ illustrissimo Domi
nio oneri crat, sustulisse, & uectigalia, qui appellari nerui Reip.
solent, plurimum auxisse; Patauij uero in studioſa inuentute
fouenda, singularem humanitatem ostendisse, quam uel ego,
cum in illa ciuitate in iuris ciuilis, ac Pontificii studia illo tem
pore incumberem, cum maxima mea uoluptate præsens sum
admiratus. Quid autem dicam de honestissimo, atq; amplissi
mo legationis munere, quod tibi ſæpe propter summum inge
nium tuum delatum eſt? quod quidem munus non nisi homi
nibus omni uirtute præstantibus mandari solet, propterea
quod non unius partis, sed totius Reip. maiestatem secum ha
beat; non unius Senatoris, sed totius Senatus grauitatem re
præsentet; non unius uirtutis, sed fidei singularis, maximæ elo
quentiæ, moderationis summæ, admirabilis sapientiæ, ac totius
virtutum orbis indigeat. Evidem quodammodo mihi affen
tor, qui munere tam præclaro cum egregio Doctore, & præ
stanti Equite, Bernardino Fornagerio fungor. Nam, dum Rho
diginæ ciuitatis prope faciem præ me fero, clarior, atque ex
cellenter mihi ipſe videor, cui præsertim datus ad dicendum
eſt locus in conspectu tot grauium senatorum, in oculis tot fa
pientium virorum, in luce tahti principis, atque omnino in ip
ſo domicilio dignitatis, & gloria. Quod si mihi honestum, atq;
amplum eſt, vnius ciuitatis huic imperio subditæ mecum de
ferre auctoritatem; quanto dignius tibi, atque illustrius fuit,
Serenissime Princeps, huius vrbis tantam ditionem continen
tis, tamquam theatri cuiusdam in omnes terras longe, lateq;
resonantis, amplitudinem sustinere, & quidem apud eos prin
cipes sustinere, quibus nulli in terris venerabiliores inueniū
tur? Nam apud duos Pontifices Max. Paullum iv. & Pium iv.
ac duos Imperatores, Carolum v. & eum, qui nunc imperat, le
gationis munus obiuisti; talemq; te legatum præbuisti, ut ne
mo in curandis illustrissimi Senatus mandatis aut diligentia,
aut facultatem dicendi, aut splendorem, aut aliud quidquam,
quod ad dignitatem, & incolumentem publicam pertineret, in
te vñquam desiderarit. Quantam vero laudem adeptus es, cum
terræ firmæ sapiens fuisti? cum continentis oræ prouisor ge
neralis, propugnaculis, ac militibus omnibus perlustratis, dili
gentiſ-

gentissime, ac prouidentissime Reip. statum firmaſti? cum in
hoc illustrissimo senatu Senator ordinarius, Decemvir, Conſi
liarius, nihil vñquam aliud respiciens, niſi publicum decus, &
commodum, grauissimas ſententias dixisti? cum in procura
tione Marcia ſanctissime administraſta, piorum maxime uo
luntatem, & pauperum egeſtatem ſpectasti? in quibus præcla
ris dignitatibus quæ ſingula præclare egeris, ſi tantum narra
re, nedum exornare, in animo habeam, nunquam dicendi fine
faciam. Hac tanta celebritate famæ, cum Petrus Lauredanus,
optimus, atque integerrimus Princeps, mortuus eſſet, & ad prin
cipatum euehendus eſſet is, qui in maximo rerum motu ſuſte
tare Remp. poſſet; his prudentiſſimiſ Senatoribus quām digniſ
ſimus viſus eſt, qui toti Reip. administrandæ præponereris. Ita
que maximo bonorum applauſu, maximaq; latitia princeps
creatus eſt; qui non ſolum Comitia, Collegium, Senatum, præ
ſentia, & maiestate tua cohoſtare, & quibusdam diebus fo
rum, iudicia, tribunalia perlustrares: verum etiam vniuersum
Venetum imperium tua vigilantia custodiſ, immanes Tur
cas tua virtute, tuo consilio, tua prudentia cohiberes; Italæ li
bertatem ab imminenti periculo protegeres; fœdis christia
na Reip. vulneribus, quæ in Asia, in Africa, in Europa efferæ
gentes intulerunt, ſalutarem manum admoueres; & impium ge
nus, quod nihil niſi nefandum, niſi inhumanum, niſi crudele co
gitat, exterminares, euerteres, deleres. Quod te facturum eſſe
ſperamus, à præpotenti Deo adiutum; eò magis quod res ge
ritur à piis contra impios, à fidelibus contra perfidos, ab ho
minibus contra belluas; &, ſicut christiani milites, diuino au
xilio, & ſua innocentia freti ita ad præliandum ſunt parati, ut
nullum unquam bellum maioribus militum animis eſſe gestu
commemoretur: ita christiani nominis hostes ſua perfidiæ,
ac ſceleris conciij, & ſuis malis cogitationibus tamquam fu
riarum tædiſ ardentibus exagitati à prælijs abhorrent; ac, ta
metiſ perfidus ille tyrannus multas triremes eduxit, multa pe
ditum, atque equitum millia coegit, & putat Fortunam ita cū
potentia ſua eſſe coniunctam, vt ſibi, tamquam Timotheo dor
mienti, castella, vrbesq; plurimas in retia dimiſſura ſit: tamen
non eſſe minor videtur Veneta classis tua diligentia quāmpri
mium parata; & ſi non plures, at ſaltē firmiores, & rei mili
taris

taris peritiores, tum equites, tum pedites pro hac Rep. pugna-
re existimantur; ac Fortuna à Turcis maxima clade, & dede-
core ad Melitam insulam se auertit, quæ quò diutinior in
afflendo extitit, eò constantior in reflando futura esse sine
dubio creditur. Principatu igitur tibi delato in tot, tantisq;
in tribus Christiana Resp. cuncta Italia, omnes urbes clemē-
tissimo Venetiarum imperio suppositæ, ne dum Venetiæ, quæ
tantum continent bonum, gaudent, & gestiunt, quòd te nihil
nisi dignum maioribus tuis, dignum christiano Principe, di-
gnum te ipso esse facturum, & veram religionem prudentissime,
ac fortissime defensurum, multis, & firmis argumentis sibi
persuaserint. Atque cum aliæ regiones, & huius Reip. partes
magis sua, quām tua causa lætentur, propterea quia eum te es-
se censem, qui pro communi salute, pro communi libertate,
pro Christi fide vigilaturus sis; Rhodigina peninsula, & præ-
cipue Rhodigium tui clarissimi nominis studiosissimum, tan-
tam ex honore tuo, quantam ex suo commodo percipit volu-
ptatem, quòd cum meminerit, se à Serenissimo Principe Ioan-
ne Mocenico, proavo tuo, ad tantam imperij lenitatem esse
perdiximus, plus, quām ceteræ ciuitates, quæ tantum benefi-
cium non acceperunt, nobilissimæ familiæ Mocenicæ debere
se confitetur. Itaque, quòd maiore, quām ceteræ, lætitia affecta
est ciuitas Rhodigina, eò nos studiosius eius nomine ampli-
tudini tuæ gratulamus; humilem, ac diligentem obedientiam,
quæ graui, & legitimo Principi præstari vberime, amplissi-
meq; debet, deferimus, non modo fortunas, quales unq; sint,
sed corpora etiam nostra pollicemur; & quantum possimus,
quantumq; ualeamus, una mente addicimus, & consecramus.
Tuum autem est, beneuolos Rhodiginorum animos non con-
temnere, & Rhodigium amplissimo nomini tuo deuinctissimum,
quòd pér familiam tuam partum tuum quodammodo est, tam
quām tuum tueri, atq; exornare. Quod ut facias, te obsecramus,
& ut in perpetuum salua sint omnia, salutem tuam perpetuam
à Deo Opt. Max. precamur.


Habita Venetijs pridie Kal. Septembri. M. D. LXX.

DE



D E
S T V D I S
L I B E R A L I V M
A R T I V M.

Antonij Riccoboni Oratio.



Vo primum die, Auditores, de me in
hanè antiquissimam urbem, atque in hoc
celeberrimum gymnasium ad profiten-
das eas artes, quæ ad humanitatem ptin-
ent, euocando, illustrissimum Senatum
Venetum decreuisse cognoui; partim
voluptate, partim molestia affectus sum.
Nam, dum animo meo cogitabam, quā-
tum amplitudinis, atque ornamenti mihi egregia huius dela-
tio muneris attulisset, cum mihi publico eset decreto per-
missum, vt, cuius sedis sub sellia discendi incensus desiderio fre-
quentaram, eam docendi causa ascenderem; &, quantum cor-
poris labore, quantumq; animi contentionem ad hæc præ-
clara litterarum studia adhibuisssem, in hac Academia, quæ
nobilitate reliquis antecedit, ostenderem; atque honesta com-
ditione bonas artes profiterer in hac vrbe, quæ originis vetu-
state vel ipsam superat gentium Principem Romanum, eiusque
pulchritudine, magnificentia, elegancia, amœnitate, vberate,
copia, ac omnino felici, & plane diuino genio, quem semper co-
lui,

Iui, cum magno meo honore perfruerer : non poteram non
omni gaudio cumulari; quippe qui ita statuerem , me nullam
maiorem dignitatem, nullumq; maius decus in iuuentute mea
cōsequi potuisse, quām essem ex illustrissimi Senatus iudicio,
ac testimonio, & vestro omnium applausu , ac lātitia consecu-
tus ; vt, si adhuc tam honorificum de me decretum , & tam
egregiam vestram erga me voluntatē respiciam, fatendum si-
ne dubio sit, pulchriorem mihi diem illuxisse nullum hoc
ipso die, quo mihi p̄imū datum est huc ascendere , & hu-
ius loci claritatem experiri . At, cum considerabam , earum lit-
terarum, quas profitendas suscepseram, magnitudinem, &
varietatem, quā grācā , & latinā linguā rationem , dicendi do-
ctrinā, poeticā facultatem, antiquitatis obseruationē, diale-
cticā notitiam, philosophiā moralis cognitionem, atque om-
nium prope ingenuarum artium contemplationem , doctissi-
morum hominum iudicio complectuntur; mihiq; ante oculos
proponebam, clarissimā huius ciuitatis amplitudinem, & cele-
britatem, frequentissimi huius, & longe, lateq; in omnes ter-
ras resonantis theatri splendorem , & grauitatem, studiofissi-
morum iuuenum de meo ingenio, ac doctrina spem , & expe-
ctionem, sapientissimorum huius gymnasij moderatorum ,
NICOLAI PONTII, & FRIDERICI VALA-
RESSII noui obscuram opinionem, ac totius Illustrissimi Se-
natus tacitas cogitationes: quām commouebar, & perturbabar,
quām angebar, & excruciabar, quām me miserum, laboriosum,
afflictum putabam; qui, tametsi quotidianiis laboribus , atque
assiduis uigilijs meis aliquid efficere uidebar posse: ab illa ta-
men uel ingenij, uel doctrinā uarietate, atque præstantia, quā
in hoc munere obeundo requiritur, sentiebam me longe abe-
sse; & ut mihi persuasissim in re tanta respondere me posse hu-
ius ciuitatis, & gymnasij dignitati, ac tot lectissimorum ade-
lescentium , totq; præclarissimorum uitorum uoluntati; quod
uix optare, ne dum sperare audebam: multiplicis quidem con-
fessus uestri cogitatione non exalbescere, & grauium iudiciorū
uestrorum metu non intimis etiam sensibus exhorrescere, ho-
minis esse existimabam petulantia, atque immoderationis ple-
nissimi. Itaq; in maxima ingenij mei imbecillitate oneri, quod
humeri sustinere mei minime uidebantur posse, me sine dubio

sub-

subtraxisse; ni recordatus essem, quō magis homines rationē
uterentur, eō magis homines esse, & quō magis homines essent,
eō maiori humanitate, & benignitate uti; omnium autem ho-
minum nullos rationi magis seruire, nullos apparere magis ho-
mines, nullos esse humaniores, & benigniores, quām qui se stu-
diosos bonarum artium, quā ad mansuetudinem morum , &
facilitatem reuocant rationem, profiterentur. Quamobrem me
cum cogitabam, vos esse omnium hominum humanissimos, &
benignissimos, vt hac ipsa recreatus cogitatione, atq; refectus
sperarem vos, si omnia uestra studia meis omnibus occupatio-
nibus perpetuo anteferri, atque omnem meam curam, ac dili-
gentiam ad uestras utilitates, & commoda referri cognouissetis,
nihil à me amplius quidquam, quām quod effici ingenio, atq;
industria mea posset, desideratuos. Quā mea spes cum pror-
sus confirmata sit hodierno die , mihi omnium propter maxi-
mam frequentiam, & admirabilem attentionem uestram iucun-
dissimo: omnino subleuatus , atque erectus non dubitabo in
hac magnificentissima vrbe, in hoc honestissimo gymnasio, in
eiusmodi munere obeundo, meam uobis operam quantulam-
cumque nauare; nec recusabo uestrorum commodorum, ue-
strāq; laudis auctor esse, atque in obscurissimis quasi tenebris
facem uobis quandam mea, quācunque sit, industria præfer-
re; in hac autem mea prolusione, & in primo huius meā pro-
fessionis tamquām vestibulo, audebo quām breuissime de reti-
nendis studijs liberalium artium, quibus multi, naturam vnam
intuentes, nullum prope locum relinquunt, disputare. Id.n.vi-
sum est haudquaquam à proposito meo alienum, vt mentes ve-
stras in frequentissimo huius diei, amplissimoq; confessu ad ea
ipsa sequenda eiusmodi disputatione inflammarem. Evidem
censeo, Aud. admirabilem esse vim naturā humanā, qua ipsa
non repugnante homines quālibet magna, atq; præclara se pos-
se assequi meo quidem iudicio diffidere non debent. Quid n.
vi naturali non potest hominum mens, acerrime multa excur-
rens, celerrime multa agitans, sagacissime multa inuestigans ?
Quid non potest animus datus ex illis sempiternis ignibus, quā
sydera, & stellā nuncupantur? Quid non potest ingenium diui-
nitatis particeps, & perpetua cupiditate ardens rerum cognoscendarum?
Intelligit enim homo, se nulla alia re magis Dei

C condi-

conditionem attingere, quam rerum notitia. Itaq; natus celsus, & erectus ad cœlestium globorum, & lumen contemplationem, exercet in primis memoriam, & eam infinitam rerum innumerabilium, quam recordationem esse superioris vita, doctissimi homines censuerunt; cuius vim (vt taceam Simonidē, Theodestem, Cyneam, Carneadem, Metrodorum, Hortensiū, alios, quos celebrauit antiquitas) etiam communis hominum mens, & eorum maxime, qui aliquod maius studium, & artem tractant, diuinam esse ostendit. Idem mirabili quodam iudicio inuestigat occulta; ex qua inuestigatione omnibus rebus imposita sunt nomina, quod summa sapientia à Pythagora tributū esse, memoria proditum est; vagantes in agris homines congregati, & ad societatem vitæ conuocati, infiniti vocis soni paucis litterarum notis terminati; fruges, vestitus, tecta, cultus uitæ, præsidia contra feras inuenta; auribus oblectatio parta ex varietate, & natura sonorum, qua dictus est Orpheus crudelis tigres, & rapidos Leones lenire, Amphion autem saxa mouere, & quo vellet, ducere; astrorum, tum eorum, quæ infixa sunt certis locis, tum illorum, quæ appellantur errantia, conversiones notatae; Solis, Lunæ, Saturni, Iouis, Martis, Veneris, Mercurij motus in sphæram illigati, ad imitationem illius, qui hanc vniuersitatem rerum architectatus, & fabricatus est; Deus; aliaq; innumerabilia excogitata, quæ haberi potuisse, sine cœlesti lumine non existimo. Animus igitur hominis contemplatione rerum pulcherrimarum gaudens, Dei, quoad humana patitur natura, se simillimum esse ostendit; & diuino instinctu aut graue, pleniusq; carmen fundit; aut eloquentiam parit & sententias, & verbis abundantem; aut philosophiam tractat donum, & inuentum Dei; aut legem omnem tum diuinam, tum cœlestem, tum mouentem, tum humanam contemplatur; aut aliquid aliud facit, quod patefacere eius diuinitatem uidetur. Quamobrem animum alij diuinum dixerunt; alij deum dicere ausi sunt. Hæc autem uis, quæ tot res efficit, & tantas, nititur quidem potissimum natura: sed ratione quadam indiget, conformatioñeq; doctrinæ, quæ dicitur ars, ad illud præclarum, & singulare conficiendum, quod maxime exquiritur. Ars. n. naturæ est adiungenda; primum quod illa ab hac proficiatur, & utraque in eodem genere versetur, atq; altera per alte-

alteram illustrior reddatur: deinde vero, quia rude quiddam, & imperfectum apparere necesse sit, nisi altera ad alteram accedat: tum uero quia ab illa hæc impellatur, atque acuatur: præterea quia multis bonis carendum sit, nisi altera cum altera coniungatur: postremo, quia illius uirtute huius vitium emendetur. Age. n. quid aliud est ars, nisi obseruatio, & perfectio naturæ? Quàm rudem se præbet natura, solerter ars, in paranda domo, re militari, alijsq; innumerabilibus? Quàm maturæ ars, tarde natura opus suum prodit, in valetudine curanda, terra colenda, atq; alijs exequendis? Quàm inutiliter natura maria agitat, equum, & bouem procreat, ouem, aliaq; pecora gignit; nisi ars nauigationis usum demonstret, immanes bestias mansuetaciat, & quos ex multitudine pecorum cultu, atq; curatione nostra fructus percipiamus, indicet? Quàm præclare, excellenter, magnifice ars vitiosam, & mancam naturam, necessarijs rebus adiiciendis, superuacaneis abiiciendis emendat; vt in agricultura uitibus adminiculando, herbasq; infestissimas frugibus amputando: & in ingeniorum exercitatione alijs fræna, alijs calcaria adhibendo, id est aliorum præcipitem concitationem, aliorum lentam tarditatem corrigendo; quod in Ephoro, & Theopompo fecisse Isocratem, memoria relictū est. Naturæ igitur egregia bona ab arte obseruantur, & perficiuntur; rudia, & inchoata incitantur, atq; matura fiunt; interclusa, sublata, occultata, aperiuntur, restituuntur, indicantur; luxuriantia coercentur; manca supplentur, aliquo modo depravata corrigitur. Cum autem natura paruulos tantum in hominibus scientia igniculos excitasset, atq; exigas quasdam rerum noticias informasset, ars sine dubio adhibenda fuit, quæ ardenter homines inflammaret ad rerum diuinorum, & humarum contemplationem; atq; efficeret, ut, cum Deus duabus præstantissimis actionibus prædictus sit, cognitionis una, qua omnia intelligit, prouisionis altera, qua omnia gubernat: animus humanus, in quo alia sunt, quæ cognitionis uim habent, ut intelligentia, opinio, sensus, phantasia, mens, alia, quæ prouisionis, ut uoluntas, consilium, ira, cupiditas, omnibus ex partibus ornaretur, & ad diuinam conditionem proxime accederet; neq; solum res ipsas tum materiae expertes, tum participes, tum uero ita affectas, ut quandoq; separari, quando

quæ non separari à materia possent, sibi cognoscendas esse statueret; uerum etiam indagandam esse rationem morum, rei familiaris, & Reip. iudicaret. Quo studio incensi homines in rerum diuinarum explicatione elaborarunt; in naturæ expositio ne operam suam posuerunt; in scientiarum tractatione uersati sunt, ut à Physicis ad Metaphysica per Mathematica ascenderint: præterea mores exornarunt; familiarum commodis serui uerunt; Rerum. saluti consuluerunt; ut, quemadmodū Deus propter ueri notitiam, & bene merendi uoluntatem, tum sapien tissimus, tum optimus, tum maximus appellatus est: ita homines ipsi diuinam redolentes naturam, si non sapientes, at certe sapientiæ studiosi, ut uoluit Pythagoras, & in hac reru universitate boni, & magni existimati sint. Quæ quoniam potissimum diuino auxilio facta sunt; idcirco artes humano generi à quibusdam Diis esse traditæ singuntur; ut à Pallade, Venere, Apolline, Mercurio, Ioue, Cerere, Vulcano, Marte, Diana, Vesta, Iunone, Neptuno; qui cum præesse commemorentur duodecim Zodiaci signis, Pallas Arieti, Venus Tauro, Apollo Gemini, Mercurius Cancro, Iupiter Leoni, Ceres Virgini, Vulcanus Libræ, Mars Scorpioni, Diana Sagittario, Vesta Capricorno, Iuno Aquario, Neptunus Piscibus, in animos humanos uires exercere suas, perinde ac ipsa signa in corpora, dicuntur. Atque hic diuinus afflatus etiam alio figmento expressus est, ut Iupiter rapiat Apollinem, Apollo illuminet Musas, Musæ afflent hominum animos; quæ Musæ efficiunt coelestem harmoniam; & sunt nouem sirenes Deo immortalis concinentes; ac globos coelestes modulate mouent, Vrania globum stelliferum, Polymnia Saturni, Terpsichore Iouis, Clio Martis, Melpomene Solis, Erato Veneris, Euterpe Mercurii, Thalia Lunæ; ex quibus omnibus unus concentus paritur, qui Calliopæ attribuitur. Hæ Musæ homines afflasse feruntur, cum artes excogitatæ sunt. Itaque inuenta est Theologia, immo prius de cœlo deuocata, tamquam regina ceterarum omnium scientiarum; cui pulcherrimo vestitu, & splendidissimo ornatu in regali solio sedenti, præsto sunt omnes ingenuæ artes, ut ancillulæ obsequentes: atq; inuenta est ei finitima Metaphysica, quam qui profitentur, eos tamquam deos esse colendos, doctissimorum hominum opinio

nis fuit; quarum quidem vtraque in Dei contemplatione versatur; sed hæc, quatenus quædam, quæ ad Deum spectant, naturæ lumine inuestigantur: illa vero quatenus ea cognoscuntur, quorum magnitudo, & præstantia neque oculorum, neq; aurium sensu percipi, neque animo ipso comprehendendi absq; diuino afflatu potest. Inuenta est Physica, speculatrix, & indagatrix naturæ; quæ subiectam habet corpus naturale; nihilq; à materia abstractu contemplatur, ac principia suppeditat Medicinæ, tamquam suæ ipsius cognatae, & affini. Inuenta est Mathematica; quæ numerorum formas intuetur; quæ fidium, & vocum concensus exquirit; quæ lineamenta, figuræ, interualia, magnitudines exponit; quæ Solis, Lunæ, syderumq; omniū conuersionem speculatur. Inuentæ sunt disciplinæ, quæ mores componunt; Ethica; quæ proprios vniuersiisque: Oeconomicæ, quæ domesticos: Politica; quæ publicos; quæ singulæ in legum ferendarum notitiam, & iudicandi facultatem distractæ sunt. Philosophus enim moralis, prudentiæ, fortitudinis temperantiæ, justitiæ, virtutum omnium leges constituit; & iudicat humanorum animorum propensiones, & affectiones: domesticus rei familiaris fert leges; & iudicat, quo modo serui, ac liberi in familia tractandi sint: ciuilis leges statuit, ad quarum præscriptum ciues viuere conueniat; & iudicat alios pœmis, alios pœnis afficiendos; ut tunc demum uere Politicus, Oeconomicus, Ethicus existimandus sit, cum aptissimus ad leges, & iudicia, idest præstantissimus iureconsultus uideatur. Quoniam uero non satis est, recte de unaquaque re sentire, nisi quæ sentimus, apte exprimere dicendo porsimus; quarum rerum tanta inter se societas, atque cognatio est, ut disiunctæ, separataeq; si fuerint nō magna admodum suppeditare præsidia, atq; adiumenta possint: idcirco uisa est necessaria orationis observationis; qua ipsa oratione tantum feris, et immanibus belluis excellimus, quantum ratione, & intente diuinam sapere naturam uidemur; ut etiam quales Di inter homines, & homines inter bellus uidentur, tales homines oratione præstantes inter eos homines, qui minus dicendo ualent, appareant. Quamobrem inuenta est Grammatica, quæ uocum uim, significationem, usumq; docet, ut congruerit loquamur. Inuenta Dialectica, quæ propositionum, & argumentationum demonstrat ueritatem.

etatem. Inuenta Rhetorica, quæ dicendi ornamenta, & quasi uerborum pigmenta, ac sententiarum lumina affert. Itaq; intel ligitis, Auditores, harum omnium præstantissimarum artium necessitatem, sine quibus nec ueritas indagari, nec hominum actiones ad uirtutem informari, nec oratio institui satis com mode potest. Quæ omnes ab Humanitate tractantur, & ex poliuntur, ut, qui unam Humanitatem spernit, is omnem libe ralem educationem, omnem ingenuam disciplinam, omnem dignam homine nobili doctrinam, atque adeo uniuersum hu manum genus spernere uideatur. Neque enim Humanitatis studium est, ut quidam in uulgo iactant, superuacaneum, le ue, humile, nugatorium, plenum garrulitatis, & verborū, inane sapientiæ, ac prudentiæ, magis pueris, quam uiris accommodatum, sed utile, graue, magnificum, pulchris reb. atque artibus instructum, à summis quondam philosophis non præceptis solum, & commentariis locupletatum, sed cum cœtibus etiam iuuenium communicatum; à maximis iurisconsultis non neglectum, ut qui essent iureconsulti, iidem essent oratores, & omnes studerent non tam eloquentium iurisperitissimi, quam iurisperitorum eloquentissimi appellari; ab omnibus deniq; omnium seculorum hominibus non omnino imprudentibus, & insipientibus tamquām humani generis proprium custoditum, quod tametsi à quibusdam existimetur continere tan tum uerborum inanem strepitum quandam, et tenuissimas Grammaticæ rationis quisquilias, rudibus, & ineptis quibusdā litteratoribus commendatas: tamen, vt arborum altitudo ne cessario hæret radicibus, et stirpibus suis, quod esse illa sine his non potest: sic ipsum ex necessariis principiis consurgens in omnes ingenuas artes diffunditur, eiq; omnibus tamquam fons uberrimus maximam argumentorum copiam subministrat; nec uersatur solum in vocabulis declarandis, in dicendi præceptis tradendis, in poetica facultate illustranda, sed ornat etiam historicos, ornat dialecticos, ornat mathematicos, ornat iurisperitos, ornat medicos, ornat, qui alias omnes scientias p fitentur; et tam late patet, tamq; varium est, vt, cum aliis laudetur, si in uno genere excellant, medici, si in unius artis medicæ cognitione; iureconsulti, si in ynius iuris ciuilis notitia; philosophi, si in ynius Aristotelis, vel ynius Platonis asfidua lectio ne;

ne; alii, si in aliatum quarundam rerum diligentie tractatione nos vix tolerari possumus, nisi omnes prope liberales doctrinas cognouerimus; cui rei sufficeré nulla ingenii facultas, nulla industria, nullum studium, nulla diligentia potest. Hinc apparet, Aud. Humanitatis, quam profitandam suscepit, uarietas, et magnitudo; quæ adeo necessaria est, vt nemo rem publicam, nemo priuatam, nemo forensem, nemo domesticam, nemo vr banam, nemo rusticam sine harum litterarum præceptis satis commode tractare; nemo belli, nemo pacis studium recte pse qui sine harum litterarum præsidio, nemo laboris, nemo quietis, nemo negotiū, nemo ocii, nemo adolescentiæ, nemo senectutiæ, sine harum litterarum fructu, bonam habere rationē, meo quidem iudicio, posse videatur. Quamobrem retinete, Aud. studium Humanitatis, necessarium philosophis, ut cordis, et linguae societatem, ac cognitionem tuantur; necessarium iu reconsultis, ut ciuilis scientiæ magnam, et amplam partem ne deserant; necessarium medicis, dialecticis, senatoribus, imperatoribus, atque adeo omnibus hominibus, ut non Humanitatis expertes, id est, ut in hi interpretari licet, parum homines, sed eius rationis, quæ ad Humanitatem pertinet, compotes, id est, uere homines iudicentur. Neque tamen censeo uobis relinquendam esse eam studiorum viam, ad quam vos tacitus natu ræ uestræ sensus fert. Non enim ignoro, ut corporum, sic animalium uarias figuræ esse, ut propria ingenii bona aptis, & co gruentibus studiis mea quidē sententia omnino fouenda sint. Sed illud unum contendo, cum legibus, cum philosophia, cum medicina, cum omni prorsus sapientia eloquentiam coniungendam esse, tamquām necessariam omnibus disciplinis. Quæ ut percipi commode possent ad commune omnium decus, & fructum, cum omnes optime institutæ ciuitates, omnes liberi populi, omnes præclaræ Resp. summa semper ope habere apud se doctissimos homines studuerunt, qui publice ueterū libros explicarent, & quasi secreta liberalium artium latibula aperirent: tum uero Veneti Senatores admirabili prouidētia prædicti præter publica Venetiarum gymnasia in hac antiquissima imperii sui urbe clarissimum omnis doctrinæ domicilium sta tuerunt; atque huc nobilissimos ex omni terrarum parte doctores acciuerunt, qui non aliter regere hoc celeberrimū gymnasium

nasium tot excellentissimis ingeniosis ornatum, atque refertum, uidentur, ac cœlestes illæ mentes Dei comites, atq; administræ, cœlum fulgentissimis syderibus decoratum regunt; & personas Musarum in terris sustinent, æque ac sustinere eædem mentes in cœlo existimantur. Vbi enim sunt istæ Musæ in terris? nō in Thracia, ubi Libethra; non in Phocide, ubi Parnassus; non in Bœotia, ubi Helico ab eis incoli, atq; habitari dicebatur; sed in præclarissimis Europæ Academiis; & præsertim Patauiæ, ubi earum ipsorum sacrarium augustissimum à Principibus Venetiis est collocatum. Quare ut Calliope, ut Clio, ut Erato, ut Thalia, ut aliae Musæ à poetis inuocantur: ita uobis, Aud. pectendum auxilium est in iure ciuili, in philosophia, in medicina, in omnibus disciplinis à tot grauissimis iurisconsultis, maximis philosophis, præstantissimis medicis, atque adeo ab omnibus hujus celeberrimæ Academiæ egregiis doctoribus, quibus qui operam dant, ij musis amici, & ex earum præscripto tractare scientias putantur. Quorum è numero cum me esse uoluerit illustrissimus Senatus, tenentem unum de principibus locis ueteris tradendæ eloquentiæ; primum lator me præclarâ huius in possessionem sedis ingredi; Prætore I A C O B O A I M O, Præfecto P E T R O F O S C A R O, summis litterarum patronis; quorum illustris, ac peruagata fama omnem mihi benignitatem, atque humanitatem pollicetur. Tua quidem præstantia omnibus notissima est, Prætor clarissime, qui originem trahis à Ioanne Aimo, Equite præstantissimo, & Senatore grauissimo, illo, qui domi, forisq; amplissimis magistratibus summisq; in Asia, & Europa, legationibus, functus in bello Ferrarensi honestissime mortuus est; qui præte fers ingenium optimum Leonardi Aimi, Ioannis filij, cum propter alias multas, & magnas dignitates rectissime administratas celeberrimi, tum vero quod Patauium sapientissime rexerit, à Patauinis perpetuo celebrati; qui tanta prudètia, integritate, clementia, grauitate hanc amplissimam Præturaliter geris, vt te ad huius ciuitatis commodum, dignitatemq; tuendam, atque augendam natu vna voce omnes prædiceat. Tuus vero splendor, Præfecte præstantissime, animi mei oculos præstringit, qui excelsa petens, ampla, illustria, plena dignitatis, & gloriæ, duos Serenissimos Duces, alterum agnatum, alterum af-

finem

finem tuum, id est, Franciscum Foscaram, eum, qui quinque & triginta annos cum maxima sua laude, atque incredibili omnium cum admiratione Remp. gubernauit, & Andream Gratum, clarissimi viri, Marci Foscari, patris tui, auunculum, illum, quem sexdecim annos vniuersus terrarum orbis in Principatu admiratus est, tibi imitandos proposuisti; de cuius admirabili in Rep. administranda sapientia, & singulari iustitia multa quidem ante audiueram, sed de tanta humanitate, quanta in me vñus es, dum, vt de me ne de facie quidem noto accersendo decerneretur, curasti, nihil prorsus cognoueram; vt cum ea nunc mihi pro tuo in me merito perspectissima sit, cum ei summas laudes tribuendas esse censeam, tum vero me omnia, quæ gratissimus afferre animus possit, officia, debere cōfitear. Primum igitur gaudeo, me incipere à tantis viris pendere. Deinde uero omnibus discere cupientibus quidquid studio, officio, diligentia, industria, animi, ingenijq; viribus efficere in hoc munere possum, id omne polliceor, ac defero, & in hoc frequentissimo confessu, atque amplissima concione Deum Opt. Max. clara voce contestans profiteor, me omnibus, quantum in me erit, tum publice, tum priuatim satisfacturum, ac aperte declaraturum, mihi esse deliberatus nihil, quām doctrinarum studiosos, quacunq; ratione possim, & interpretationibus, & lucubrationibus, & opibus, & consilijs, & gratia adiuuare, atque effecturum, ut ad me studiorum caussa adeuntibus perpetuo etiam domus mea intima, nedum locus publicus patere intelligatur. Postremo uos, studiosissimi iuuenes, quorum magnificientissimus conspectus spem magnam summi honoris, atq; eximiæ cuiusdam apud homines commendationis mihi affert, oro, atque obsecro, ut quo studio me hodierno die audiuiisti, id in perpetuum conseruetis. Affirmo enim uobis, me plane, & dilucide eloquentiæ præcepta in præclaris veterum tum græcis, tum latinis scriptis, expositorum; atque in his litteris, quibus nullæ sunt ad oblectandum animum aptiores, ad uitam hominum tuendam commodiores, ad gloriam consequendam opportuniores, meas vires, quantulæcumque sint, ad vestra optata, & commoda collaturum. Quod cum sponte mea faciam, tum uero, ut clarissimis huius gymnasii moderatoribus, qui me fouerunt, & senatui commendarunt; vt ipsi Senatui, cuius

D suffra-

suffragia, sententiæq; de me accersendo maxime consenserunt,
vt reliquis omnibus, qui me apud Senatores laudibus extulerunt, gratificari videar; & eò etiam alacriore animo faciam,
quò magis si uos, clarissime Prætor, præstantissime Præfecte, & me, & studiosissimos hos iuuenes,
vestra humanitate, & man-
suetudine, ut ue-
hemen-
ter
cupimus, existimabi-
tis comple-
cten-
dos.

Habita in Gymnasio Patauino Pridie
Non. Nouembris. M.D.LXXI.



DE



DE S T V D I O HUMANITATIS.

Antonij Riccoboni Oratio.



VAE mea de retinendis liberalium artium studijs, sententia effet; Aud. heri, vt uos ad ea ipsa sequenda tuendi officij mei causa cohortarer, ac propensæ meæ erga vos voluntatis significationē aliquam darem, exposui quam planissime, & quam breuissime potui. Nunc me commouet, ac perturbat perniciofissima quædam opinio, quam increbuuisse animaduerto, eorū, qui dicunt, nihil esse, cur in uerbis magnam operam ponamus, rerum vnam cognitionem perquirendam; satis esse, si ita loquamur, ut intelligamur, quid sentiamus, tantum curandum; philosophiam, ius ciuile, medicinam, alias grauiores artes, quæ rerum cauſas docent, studioſe persequendas, Humanitatis studium verborum plenum, prudentiæ inane, tamquam superua caneum, acleue reiſciendum. Quæ oratio quamquam satis cōfutata est studijs vestris, Aud. qui ita in rebus cognoscendis elaboratis, ut verborum disciplinam ne despiciatis, ut facile inteligi potest ex admirabili vestro in hunc locum concurſu, & singulari attentione, ex qua cum redundare non minus in me laudis, quam ex maximo meo labore in vos vtilitatis videatur;

D 2 fit,

tus est; quocum Cicero professus est, se malle errare, quam cū ceteris vera sentire; ille, inquam princeps litteratorum hominem Plato, cum eloquentia laudibus à natura ornatus esset, cuius suavitatem, vel ipsæ apes in eius labellis, dum dormiret in cunis infans, mel inferendo, indicarunt: ad maximum ingenium eloquendi studium adiunxit; ut non solum in intelligendo, sed etiam in dicendo excelluerit; eaq; præstantia orationis est usus, vt eius ipsius longe omnes tum scriptores, tum oratores & copia, & granitate verborum superant copiosissima, & grauissima voce, Iupiter ipse, si ei græce loquendum fuisset, locuturus fuisse vilis sit; ac non contentus ea gloria, quam ex ornata de philosophia scriptione consequebatur, etiam doctrinam dicendi commentariis elegantissimis editis pertractauit. Quid dicam de Xenophonte, altero Socraticæ disciplinæ lumine splendidissimo? cuius sermo et si existimatus est longe à frensi strepitu remotissimus, & lenior, ac vehemens fortasse minus, quam requirere forum uideretur: melle tamen dulcior fuit, atque adeo suavis, ut Xenophontea uoce Musæ quasi locutæ ferantur. Iam uero Aristoteles, quo nihil doctius, nihil acutius, nihil acrius unquam fuit; aureum orationis flumen funditus dictus est; ac motus gloria Isocratis magni oratoris, ac perfecti magistri, dicere adolescentes docuit, eisq; magis Rhetorum copiam, quam philosophorum tenuitatem in differendo exercendam proposuit; cumq; ueteres scriptores artis Reticæ usque à Corace, & Tisia repetitos unum in locum conduxisset, inuentores ipsos suavitate, & breuitate loquendi longe superasse creditus est; atque cum intelligeret, doctrinā quidem per se ipsam prodeesse, sed si ad doctrinam accedat eloquentia, præclarum quiddam, ac singulare solere existere, idcircoq; pluris faceret Theophrastum, qui diuinitate loquendi nomen inuenierat, & suavitatem orationis cum sapientia coniunxerat, quam Menedemum, qui doctior, quam eloquentior erat, illum maluit, quam hunc successorem loci, ac magisterii sui diligere. Memoriæ enim traditum est, ad Aristotalem, philosophum sumum, annos iam fere natum duos, & sexaginta, eius sectatores accessisse, ac eiusmodi uerba fecisse; Tibi quidem plurimum debemus, Doctor præstantissime, quod in nos cœlestem amorem exercueris; atque haud scimus, an plus etiam, quam parētibus

fit, ut multo libentius mihi pro vestris commodis vigilandum sit: tamen, quia vereor, ne magna quorundam auctoritas, qui rebus student, uerba non curant, animos uestros à rectissima studiorum ratione deducat; mihi, cui publice ex Illustrissimi Senatus decreto Humanitas tuenda est, faciendum esse existimo, vt eiusmodi sententiam tamquam falsam ab omnibus prorsus hominibus esse repudiandam, perbreui disputatione demonstrem. Neque tamen suspicari debetis, quod longe à mea sententia alienum est, damnare me nouorum philosophorum, iurisconsultorum, medicorum factum in eo, quod rerum ueritatem obscuro, & inexplicabili quodam inuolucro implicatam, &, vt Democritus censuit, in profundo demersam, conentur eruere; vel in ea esse opinione, ut eloquentia studium, quod uel maxime ad Humanitatē pertinet, philosophia, iuris ciuilis, medicinae studijs anteponendum esse censem: sed uobis persuasissimū esse debet, ut philosophiam, tamquā rem prorsus diuinā summa obseruantia reuereor, ac colo; ut ius ciuile, id est, iusto rum, iniustorumq; distinctionem, veneror, ac suspicio; ut medicinam inuentum, & donum Dei, magis facio, atq; admiror: ita me illud contendere, nobilissimam, purissimamq; veterū philosophorum, iurisconsultum, medicorum doctrinam deformato, inquinatoq; sermone non esse explicandam; & rerum quidem præcipuam curam habendam, sed rerum cognitioni elegantiam verborum addendam; ac cum omni prorsus sapientia eloquentiam coniungendam. Quod factum esse perspicio à sapientissimis illis, & prudentissimis viris, quorum pulcherissimo exemplo maxime moueri debemus; qui cum animaduerterent, eandem esse rationem ædificiorum, ac disciplinarum, vt, quemadmodum parietes, & culmen consistere non potest, nisi subsit firmissimum fundamentum; sic egregia ingenuarū artium præcepta minimum firmitudinis habitura sint, nisi uerborum subtilio sustineantur: non solum in intelligendo, sed etiam in dicendo studuerunt excellere. Itaque, vt faceam veteres illos philosophos, eosdemq; legum latores celeberrimos, Solonem, Lycurgum, Zoroastrem, Trismegistum, alios quam plurimos, qui non magis, quas leges ferrent, quam quibus verbis ferrent, curarunt; ille, qui diuinus, qui sapientissimus, qui sanctissimus, qui Homerus philosophorum à Panætio appellatus

tibus nostris, cum ab his corpus, quo parui aestimamur, à te eruditionem, qua magni, acceptam referamus : sed, ut magis debeamus, cùm sis corpore ægro, & uiribus imbecillis (quod quidem maximam nobis molestiam affert) te oramus, atq; obsecramus, ut eligas, qui tibi in schola succedat, quo post mortem tuam, perinde ac te ipso utamur, ad studia doctrinarum complenda, excolendaq; , quibus à te imbuti fuimus, si modo tibi tempestivum uidetur, & si uis. Quibus ille dicitur respondisse; An est, studiosissimi iuuenes, quod ego malim, quām uestræ morem gerere uoluntati, cum præsertim omnium quām gratissimi sitis? Faciam autem id perlubenter, quod cupitis, cum id mihi uidebitur opportunum. Quid quæratis? Breui post tempore Aristoteles aduocauit illos, qui de præceptore designando petierant. Velim, inquit, humanissimi iuuenes, ut cum uinum hoc, quod bibere soleo, non sit ex ualetudine mea, sed minime salubre, & maxime asperum, Rhodium, & Lesbium mihi adferendum curetis, ut, quod magis me iuuuerit, utar. Mirati illi, cur magister nominatim petiisset Rhodium, & Lesbiū, iuerunt, curarunt, inuenerunt, attulerunt. Cum ille utrumque degustasset, Vtrunque, inquit, bonum est : Ied suauius Lesbiū. Quod dictum perspicacissimi iuuenes tamquām in gyrum rationis adducti etiam, atque etiam considerantes, nec ignorantes Theophrastum esse ex insula Lesbo, Menedemum autem Rhodo, quibus ceteri ingenij, ac doctrinæ uarietate, atque præstantia concedebant, adeo ut ad alterutrum pertinere successio videretur, non dubitarunt, quin lepide simul, & uerecunde Aristoteles sibi successorem, non uinum delegisset ; ac non diu post Aristotele vita defuncto ad Theophrastum Lesbium, non ad Menedemum Rhodium concesserunt. Egregie. Huius enim doctrina illius & doctrinæ, & eloquentiæ præferenda nō erat; cum hic tantum doctus, ille etiam in dicendo suavis uideretur. Dixi de philosophis. Nunc aliquid dicam de iurisconsultis, ut vobis ostendam, qui grauiores tractant sciētias, illis non esse uerborum ornamenta respiuenda. Ac mihi primus in hac cogitatione occurrit M. Porcius Cato Censorius, is, qui non solum optimus ciuis, optimus senator, optimus imperator, optimus iurisconsultus existimatus est, uerum etiam optimus orator ; qui cum plures libros de iure ciuili scripsit.

See,

set, eloquentiam sic adamauit, vt mira fuerit eius in dicendo grauitas, acerbitas, argutia, subtilitas; cuius orationes amplius centum quinquaginta commemorantur, & verborum, & rerū splendore illustratae; cuius origines omnem florem, omne lumen eloquentiæ habuisse feruntur; qui quater, & quadragies cauissam dixit, & semper est absolutus. Mitto Sex. Aelium non minus ad dicendum, quam ad ius ciuile paratum; cuius liber, qui inscriptus erat Tripertita, quod cum lege xij. tabularum coniuncta esset interpretatio, & actio legis, maxime laudatus est. Mitto Ser. Fabium Pictorem, & iuri, & antiquitati, & litterarum elegantia deditum. Mitto Q. Fabium Labeonem, eayundem fere laudum participem. P. autem Crassum prætermittere non possum, eum, qui traditur fuisse ditissimus, nobilissimus, eloquentissimus, iure consultissimus, Pontifex Max. qui cum domi ius ciuile didicisset à P. Mucio, & P. Scæuola altero filio, altero fratre suo, ac in dicendi studium incubuisse ita, ut ualde probatus orator putaretur, consultus est plurimum, & plurimum dixit, tamquām maximus iure consultus, maximusq; orator. Atq; ut etiam breuitatis causa omittam L. Cœlium Antipatrum, historiarum scriptorem luculentum, iuris valde peritum, qui etiam narratur plus eloquentiæ, quām iuris sciētiæ operam dedisse; mihi certe non est silentio prætereundus eius auditor L. Crassus, & cum L. Crasso Q. Scæuola; quorū alter eloquentium iurisperitissimus, & disertorum consultissimus, alter iurisperitorum eloquentissimus, & consultorum disertissimus dictus est; atque hic, cum peracute excogitaret, quid ius, aut æquum veri contineret, aut non contineret, tum verborum ad rem cum summa breuitate apta compositione mirabiliter vtebatur; ille autem ita æquitatem interpretabatur, definiebat, explicabat, vt nihil eo ipso esset copiosius; & uterque reliquit eas orationes, quibus nihil elegantius, nihil purius, nihil laudabilius, nihil admirabilius visum est. Quid commemorem Ser. Sulpitium, eum, qui cum Q. Mucium de re amici sui consuluisse, nec eum de iure respondentem satis intellexisset, monitus, turpe esse legitimarum, & ciuilium controuersiarum patrocinia suscipienti leges, & ciuile ius ignorare, eam ipsis legibus operam nauauit, vt longe omnibus qui esent, & qui fuissent, in eiusmodi disciplina antecellere videtur?

eur? Hic Dialecticam didicit; cum Dialectica coniunxit litterarum scientiam, & loquendi elegantiam; dicendi caussa duobus peritissimis operam dedit, L. Lucilio Balbo, C. Aquilio Gallo; ac reliquit prope centum, & octoginta libros, quorum similes nulli esse elegantia, & grauitate uerborum sunt iudicati. Tacco Trebatium peritiorem Cascellio, Cascellium Trebatio eloquentiorem, Ofilium utroque doctiorem, Tuberonem Ofili auditorem, aliosq; prope innumerabiles, qui non solum iurisperiti, uerum etiam diserti haberi studuerunt. Quid enim memoriam temporum replicando, & antiquitatis monumenta excutiendo in re tam manifesta longiore utar oratione? Tatum illud commemorabo, quod me potest tueri, atque defendere aduersus nonnullos, meum factum quasi reprehendentes, & subaccusantes, propterea quia, cum in numerum iurisconsultorum sim ascriptus, eas artes, quæ ad Humanitatē pertinent, profiteri non recusauerim; me ad veterum imitationē, tametsi in legibus maximum studium ab ineunte ætate collocauerim, & cum iure ciuili, ac pontificio philosophiam coniuxerim, nunquam tamen ab eloquentiæ studiis abhorruisse; nec defugisse munus tradendæ eloquentiæ in hoc celeberrimo gymnasio ab illustrissimo senatu mihi assignatū, quod, quemadmodum Aristoteli dedecori non fuit, à Philosophiæ traditione ad Rhetoriciæ artis præceptionem operam suam conuertere, sic mihi non fore turpe existimarem, si à legitima scientia ad artificiosam eloquentiam, quæ ciuilis rationis magna, & ampla pars merito est appellata, me conferrem: eò magis quod, quemadmodum lucet latina eloquentia in iure à veteribus conscripto, plus etiam, quam in philosophia, quæ græce tradita barbaris conuersionibus, immo potius euersionibus fuit perturbata, sic nunc in nobis iurisconsultis aliquod eius lumen apparere non indecorum est; & quamadmodum Cicerio eloquentiam cum iurisprudentia iunxit, sic nos iuris studiū non spernere, & in hac yberiore arte versari, haudquaquam reprehendendum est. Adde, quod illustissimorum senatorum, me summo studio accersentium negligere volūtatem non debui; quibus vt. obsequerer, vel maximum reprehensionis periculum mihi subeundum erat, maiorem fortasse obedientiæ, quam locilaudem consecuturo; cum præsertim intelligerem,

maius

gymnasio profitentium, quam priuatorum iurisconsultorum, & præter eam dignitatem, quam habet Humanitatis professio, id est non tenuissimarum Grammaticæ rationis quisquiliarum, sed grauissimarum artium pertractatio, quam tanti fecerunt ueteres, ut eius magistri dignissimi usi sint, quibus nobilissimi philosophi operam darent, siquidem Hermogenem Musonius audiuit; illud dignissimum esse, à tanto, tamq; illustri senatu in oculos gentium, in lucem hominum, in ipsum domicilium dignitatis, & gloriæ honesta cōditione fuisse euocatum. Qua mei facti ratione ita exposita, exemplorum commemorationi finem imponam, si vnum illud addidero; præter Chironem, Machaona, Podalirium, Hippocratem, alios, quos diuinis honoribus fuisse cultos memoriæ relictum est, non tā, quod medendi artem tenerent, quam quod eius præstantiam singulari eloquentia patefacerent, Galenum illum, medicum summum, dicendi genus purissimum, atque elegantissimum non solum secutum, sed etiam assuetum fuisse, & cum sententiuarum grauitate, creberrimaq; historiarum copia, & maximo tum diuidendi, tum definiendi, tum demonstrandi artificio cōiunxisse ea verborum ornamenta, vt eius scripta visa sint ornataissima, ac præter opera multa, & uaria non ad artem medicam solum, sed etiam ad Philosophiam, Mathematicam, Geometriæ pertinentia (quæ iniuria temporum nobis erupta sunt) vel ipsam Grammaticam exornasse; neque solum de affectibus animalium nostrorum, in quibus afferendis consistere oratoris vñctoriam ueteres Rhetoriciæ artis magistri docuerunt, præcepta pulcherrima reliquise, verum etiam integrū de arte Rhetorica opus conscripsisse. O pulcherrimam veterum consuetudinem, non rerum tantum, nec verborum, sed rerum simul, & uerborum habendi rationem. Ergo illi non solum philosophiam, ius ciuile, medicinam didicerunt, sed uerborum etiam splendori studuerunt: nos impure, & ineleganter nostra ipsorum studia perseguemur, & contēnendos eos esse putabimus, qui puro, & eleganti orationis genere delectantur? Inter illos non defuerunt, qui non modo de doctrinis illis, ad quas præcipue animum appulerunt, ornate disputatione, sed ornate etiā disputationi rationem editis commentariis tradiderunt; nos im-

E polite

aere, ventos, qui agitant maria, terrae partes tum incultas, tum cultas, animorum naturam, Rerum familiarum, morum rationem, varias nationes, populos, vrbes, multitudinem pecudum, aliaq; innumerabilia, de quibus summorum philosophorum libri acutissime sunt conscripti? Nonne dum agunt de religione, de morte, de pietate, de charitate patriæ, de bonis rebus aut malis, de virtutibus aut vitiis, de officio, de dolore, de voluptate, de affectionib. animi; & erroribus nec qualis Aeneas, qualis Achilles, quales aliæ psonæ sint, sed quales esse debeant, considerant, philosophicas ideas videntur exprimere? Haecce sunt levia, & nugatoria, an potius grauissima, & præstantissima? Tantam profecto poetarum apud veteres fuisse apparet auctoritatem, ut non solum nobilissima sua decreta Ari stoteles, Plato, alijq; philosophi crebris eorum testimonii confirmare non dubitauerint; sed eis etiam tamquam sanctissimis delubra antiquitas dedicarit. Id quod euenisce Homero apud Smyrnæos narratur; cui vel illud præclari contigit, ut non solum ipsi Smyrnæi, sed etiam Colophonii, Chii, Salamini, alii permulti eum sibi ciuem uendicarint; quarum ciuitatum simulachra ad eiusimaginē in templo ei consecrato Ptolemaeus Philopater iussit collocari. Nunc uenio ad oratores; quos si quis cogitauerit quæstiones infinitas pertractare, in quibus etiam philosophi elaborant, ut ex præscripto Ciceronis Verine sint sensus, Quibus officiis amicitia colenda sit; ut Ius in natura sit, an in more, Sitne ius id, quod maiori parti sit utile, Iuste uiuere sit, necne utile; ut Quibus rebus adipisci gloriam possis, aut Quomodo inuidia uitetur, Quemadmodum sit Resp. administranda, aut Quemadmodum in paupertate uiuendum; ut Ecquisnam perfectè sapiens esse posis, Quonam pacto uirtus pariatur, naturane, an ratione, an usu; ut Pertinacia, & perseuerantia aliud, an idem sit, Qualis sit auarus, aut Quid sit superbia; ut Honestum ne sit pro amico periculum, aut inuidiam subire, Sit ne utile in Rep. administranda, uerfari, Sit ne æquum amicos cognatis anteferre; ut Quemadmodum colendi sint parentes, Quomodo iracundia comprimatur, aut timor tollatur, aut cupiditas minuatur: cum omnino quæritur, aut de cognitione, aut de actione, in priore autem genere, Sit nec ne, Quid sit, in altero genere, Quæ ad

E 2 perse-

polite loquemur, & polite loquendi disciplinam aspernabimus? Illi non tantum latine, verum etiam eleganter dicendi facultatem obseruarunt: nos & Rhetorum, & Grammaticorum etiā præcepta negligemus? Illi Humanitatis studium singulari gruitate, & magnificentia præditum, & pulcherrimarum rerum, atque artium cognitione instructum duxerunt: nos quia præcipue verborum continet obseruationem, inane, ac nugatorum existimabimus? Quasi vero nobilissimæ artes, quæ partim ad veritatem indagandam, partim ad Remp. capessendam, partim ad familiam gubernandam, partim ad mores informandos pertinent; quasi philosophia, quæ laudandas omnes doctrinas procreauit, ac peperit; quasi illius ministra, & tamquam famula Dialectica; quasi iustitia, religio, ius, leges, quasi medendi facultas, quam quidam Dei manum appellant; quasi denique aliæ disciplinæ, quæ sunt partim ad vitæ usum, partim ad animi oblationem necessaria, cognosci uillo pacto possint, nisi verba, quibus illæ diuinitus traditæ sunt, diligentissime obseruentur. Nolite autem putare, Auditores, haberi curam verborum posse, nisi etiam rerum habeatur; aut Humanitatis explicatores esse magis verborum, quam rerum inuestigatores; cum, si verum querimus, non Grammaticos solum explicent, sed etiā poetas, oratores, historicos, philosophos morales, quibus admirabilis rerum cognitio continetur. Poetas certe non vanitatis, sed sapientiæ auctores esse, vel ex eo apparere potest, quod est eorum interpretes magna quadam vi concitari, doctissimorum hominum opinio fuit; vt multo id magis de poetis ipsis affirmari posse videatur. Quid? quod omnes præclaras artes poetæ tractant, quas omnes discere absque cœlesti instinctu humanū ingenium non potest, cui vel unam percipere, vel unius particulam difficultimum sit? Adde, quod sæpe rudes quidam, & inepti ab Apolline, & à Musis impelluntur, vt intelligatur non humana industria, sed cœlesti impulse versus fundi. Verum vt hæc Platonica omittamus, quibus disputandis dabitur, vt speramus, commodior locus, nonne dicunt poetæ naturæ primordia, cœli conuersiōnem, effectus Solis, & Lunæ in orbe signifero, stellarum errantium cursus, progressiones, institutiones, syderum vim, vicissitudinem dierum, atque noctium, commutations temporum quadripartitas, perturbationes, quæ fiunt in aere,

persequendum aliquid, aut declinandum, Quæ ad aliquod cōmodum, vsumq; referantur; in prioris generis prima parte, Possit ne aliquid effici, Quemadmodum quidq; fiat, in altera, Aliud, an idem sit, Quomodo descriptio generis alicuius, & quasi imago exprimatur; in tertia aut de honestate, aut de vtilitate, aut de æquitate; in altero genere, Quæ ad rationem officij pertineant, Quæ ad sedandos animos, & oratione sanandos: si quis, inquam, animaduerterit, oratores in eiusmodi quæstionibus versari, quæ etiam philosophis propositæ sunt; nonne sibi statuendum ducet, aut leuisimos esse philosophos, quod non nisi à leuissimis hominibus statui potest, aut cum philosophis oratores grauissimos? Quod si oratores ab illa infinita materia ad tria genera caussarum, tamquam in angustissimum quoddam ergastulum reuocentur; quomodo illi hæc ipsa satis digne tractauerint, nisi more philosophorum à singularibus ad vniuersa redegerint disputationem? Quomodo probauerint à Milone iure Clodium cæsum, nisi prius generaliter ostenderint, licere homini hominem aliqua de caussa interficere, & iure optimo insidiatorem de medio tolli posse? Quomodo suaserint, Pompeo bellum Mithridaticum committendum, nisi prius generaliter demonstrauerint, in summo Imperatore inesse oportere scientiam rei militaris, virtutem, auctoritatem, felicitatem? Eadem ratio est ceterarum rerum, quas propositas habent oratores ad persuadendum, ut definitum ad infinitum referant, causam ad propositum, controuersiam ad consultationem, hypothesis ad thesim; quod facere non possent, nisi philosophorum præceptis informati, atque imbuti ad dicendum venirent. Quid? quod ijdem in gerenda Rep. & humana societate concilianda versantur; iura, leges, instituta, mores ciuitatum declarant; animorum motus pro arbitratu tractant; aliaq; efficiunt, quæ non magis ex Rhetorum, & Grammaticorum scholis, quam ex eruditissimis Philosophorum, & iurisconsultorum spatijs prodire existimantur? Non est igitur tamquam leue oratorium studium contemnendum. Historia uero, quæ dicitur tempora testificari, ueritatem illustrate, memoriaz uitam afferre, uitæ præcepta continere, uetus statem nunciare; quam est admirabilis, quam iucunda, quam fructuosa? Hæc non solum Grammaticos informat, uocum origi-

originem indicando; poetas adiuuat, excellentium virorum casus fabulis subministrando; oratores adornat, exempla vel ad probandum, vel ad oblectandum præbendo; verum etiam iure consultos instruit, leges, & instituta ciuitatum recensendo; medicis opitulatur, naturam herbarum, aliarumq; rerum explicando; philosophis succurrit, nobilissima eorum præcepta comprobando. Hæc Nestoris, Vlyssis, Scipionis, Fabij, Luculli, Pompeij; hæc Themistoclis, Miltiadis, Coelitis, Deciorum, Camilli, Marcelli; hæc Socratis, Xenocratis, Curij, Fabricij; hæc Pittaci, Aristidis, Scauri, Crassi; hæc aliorum innumeralium glorioſa, & illustria facta commemorando: iustitia, temperantia, fortitudinis, prudentia, virtutum omnium speciem, atque imaginem nobis ante oculos ponit. Hæc Rerump. formas describendo, optimum ciuitatis statum ostendit; præclarum ciuem, ac Senatorem instituit; Imperatorem munit; omnibus quid sequendum; quidue fugiendum sit, aperit; ut quantum senes pueris, tantum ijs, qui Historiam tenent, & multarū extatū cognitionem habent, ijs, qui Historiam ignorant, tamquam prudentissimi imprudentissimis, & longæui pueris anteponendi esse videantur. Iam uero quibus uerbis philosophiae moralis in Humanitate officiorum rationem tradentis grauitatem declarabo; quæ hominem ad felicem vitam perducere propositum habet; cumq; felicitas hominis sit actio ex virtute, quamplurima continet præcepta de virtute, ut eam adipiscamus, & ad felicitatem celeri gradu progrediamur? Hanc scilicet rationem primus excogitasse Socrates dicitur, qui à numeris, motibus, magnitudinibus, interuallis, ceterisq; rebus occultis, & natura inuolutis, quæ superiores philosophos occupatos, impeditosq; tenuerant, auocauit philosophiam, & ad vitā communem adduxit. Cum igitur duplex vis sit animorum nostrorum, una cognoscendi, altera appetendi; & prior triplex sit, mens, quæ perpetuo veritatem contemplatur, ratio, quæ veritatem inuestigat, phantasia, quæ veritatis caussa excurrit ea, quæ à sensibus satellitibus, & ministris porrigitur; posterior item triplex, voluntas, vis irascendi, vis concupiscenti, quarum una appetit, altera aggreditur, tertia adsciscit ea, quæ mens, ratio, phantasia proponunt; quibus omnibus adduntur vis mouendi, & vis nutriendi, à philosophis moralibus illustratur

tur sapientia, quæ perficit mentis contemplationem; illustratur scientia, & prudentia, quæ perficiunt rationis indagationem, altera in ijs, quæ à natura proficiscuntur, altera in ijs, quæ à nobis aguntur; illustratur sagacitas, quæ perficit phantasiam cōprehensionem; illustratur iustitia, quæ perficit voluntatem; illustratur fortitudo, quæ perficit uim irascendi; illustratur denique temperantia, quæ perficit uim concupiscendi; cum vis mouendi, & vis nutriendi aut nihil, aut parum admodum cum virtute communicent. O materiam gratissimam, atque omnium studijs persequendam. Cum autem tot, tantasq; res Humanitas complectatur; & uestigij veterum, qui nisi ornate, quæ sentirent, eloquerentur, sibi dedecori esse ducebant, insistendum sit: siue rerum, siue uerborum uos desiderium tenet, ornatisissimi Aud. has præclaras litteras retinete; earumq; cognitionem ad ornandas cas nobiles artes, ad quas uestra uos natura impellit, adhibete; me uero uestrarum utilitatum vehementer incensum, quem obtinerem hanc scholam pro uestris potissimum commodis illustrissimus Senatus voluit, & maximo uerstro concursu, maximaq; attentione, quæ maxima beneficia duco, obstrictum,

ita audite, ut persuasum
habeatis, qui uel
lit, eum uti
me in

hoc studij genere uel duce,
uel socio facile pro
arbitrio posse.

Habita in Gymnasio Patauino Nonis Novembbris. M. D. lxxj.

De



D E S T V D I O A R T I S R H E T O R I C A E.

Antonij Riccoboni Oratio.



Vnt tria potissimum hominum genera, Aud. qui possunt vestrum ad laudem cursum honestissimum impedire; unum eorum, qui naturæ uiribus freti artem omnem contemnant; alterum eorum, qui rerum studio delectati dicendi elegantiam, & artes omnes, quæ pertinere ad Humanitatem dicuntur, quasi uerborum, non etiam rerum indagatrices despiciunt ducant: tertium eorum, qui artem Rhetoricam maxima detimenta Rebus p. afferre, & ob id tamquam pernicioſissimam ab omnibus prorsus hominibus repudiandam esse contendant. Quorum primi solennis gratia prolusionis nudius tertius à me fracti, atque abiecti sunt: alteri heſterna disputatione mea confutati, atque conuicti: nūc uero contra terrios ratio dicendi defendenda, & uerisimilis, atque amplissimis laudibus eferenda est. Quod ut commodius à me fieri poscit, peto à uobis, ut mihi aduerſariorum argumenta perbreui temporis spatio recensere, eaq; diluere medianti attentionem uestram ne denegetis. Quam si concesſeratis, perficiam

persicam profecto , ut dicendi doctrinam non modo à uobis non spernendam,cum neque indigna,neque inutilis sit, sed tāquām dignissimam , atque utilissimam existimetis omnibus esse amplectendam. Atque ut facilius hanc ipsam rem intelligatis, animaduertite primum Aud. quibus illi argumentis ad suā probandam caussam uti soleant. Adducunt enim primum gravissimum testimonium Platonis, facultatem oratoriam facultati coquorum comparantis, & utramque eiusdem studii, id est adulatio[n]is particulam facientis. Scribit enim Plato esse quodam studium non artificiosum quidem, sed sagacis animi, aptiq; natura , atq; accommodati ad humanam consuetudinem conciliandam, cuius summam, & caput appellat adulatio[n]em . Atque huiusmodi studium eas imitari artes affirmat, quæ partim animum , partim corpus hominis curant. Artes enim, quæ curant hominem , apud eum in duas sunt partes distributæ, quarum aliæ animi, aliæ corporis curationem habent. Animū quidem in habitu quodam naturæ consentaneo conformat, & constituit Legitima scientia, Dei, & naturæ speculatrix, communis boni indagatrix, legum inuentrix, morum moderatrix: lapsum uero à naturali habitudine Iudicialis disciplina erigit, ac restituit : sed corpus exercet , & in bona retinet constitutione Gymnica: cum autem à suo robore deflexerit, adiuuat, & corroborat Medicina; ut quales in animo Legitima, & Iudicialis sunt, tales in corpore Gymnica, & Medicina, esse existimentur. Quemadmodum autem uitia uidentur uirtutes imitari, ut malitia prudentiam, immanitas in uoluptatibus aspernandis temperantiam, audacia fortitudinem, acerbitas iustitiam, alia alias: ita adulatio[n]es illas bonas artes repræsentant, Sophistica Legitimam, Rhetorica Iudiciale, Fucata Gymnicam, Coquendi facultas Medicinā; ut qualis in animo Sophistica, talis in corpore Fucosa, qualis in illo Rhetorica, talis in hoc Coquendi facultas uideatur. Atque ut illæ animum, & corpus conseruant: ita hæ corrumpunt; ut cum Rhetorica ex sententia sapientissimi Platonis non sit inter artes hominis conseruatices, sed inter adulatio[n]es animi, & corporis corruptrices, & idem efficiat in animo, quod efficit Coquendi disciplina in corpore , tamquām res seruilis, & fallax rei cienda esse uideatur. Clamat deinde aduersarii publicis rebus per homines eloquentissimos

plura

plura detrimenta, quām adiumenta solita importari. Quid enim, aiunt, præclaras antiquas ciuitates euerit, ac labefactauit aliud, nisi disertorum hominum improbitas, & audacia? Qui alij perculerunt Athenas , clariſſimum quondam Græciae lumen, qui Romam, totius fere orbis terrarum dominam, nisi ij, qui dicendo valuerunt? Quid aliud inuexit in Remp. Atheniensem tyrannidis incommoda , nisi diserta oratio Pisistrati, alioqui de omni genere Humanitatis optime meriti, cum primus versus Homeri confusos antea per Aristarchum Grammaticum sic disposuerit, vt nunc habemus, & primus libros disciplinarum liberalium Athenis publice legendos proposuerit? Hic in sermonibus, collocutionibusq; videbatur esse maxime affabilis, & humanus, tenuiorumq; cauſæ valde fauere , atque ad inimicitias maximam clementiam, moderationemq; adhibere, vt natura fallax, & adulator, omnes superare virtute, ac probitate putaretur . Cum autem Olymp. L. bello Megarenſi se cundo Remp. bene gessisset, & iuuenibus matronarum cultu ornatis hostes decepisset, ac Salaminem, quæ ad Megarenſes defecerat, & Atheniensibus cauſam dederat, bellum primum Megarenſibus inferendi, atque Nisæam, quæ eodem bello amissa fuerat , recepisset ; Olymp. LIII. tyrannidem affectans, his omnibus populo blande expositis , & inimicorum insidiis aduersus se simulatis, cum, vt multitudinis animos concitaret, sibi ipse vulnera intulisset, quæ ab inimicis per infidias illata diceret, custodes corporis sui trecentos postulauit; & frustra dicente Solone, Homericum Vlyssem à malo ciue assimulari, ut, quemadmodum ille se ipsum cædens hostes deceperat, ita hic vulneribus ad ciues decipiendos abuteretur ; ac monente, cauendum esse à lingua, & verbis fallentibus blandi viri , uulpinis passibus ambientis, eos impetravit; arceq; occupata tyrannidem exercuit; ut disertæ Pisistrati conciones salubres Solonis orationes superarint, atque effecerint, ut lepore uerborum capti alioqui prudentissima ciuitas regium imperium sibi imponi pateretur, & libertati seruitutem anteponeret. Commemorant præterea Cleonem, Critiam, Alcibiadem, eloquentes quidem: sed ciuitatibus suis non bonos. Commemorant Hegesiā Cyrenaicum Philosophum, qui adeo copioſe uitam hominum lugebat, humanas miserias deplorabat, mortalium mala repræ-

F sen-

dam omnia dirigentem extollit; dicendi artem Medicina comparat, vt, quemadmodum haec corpus efficit sanum, & robustum, ita illa animum per rationes, institutionesq; legitimas ad uirtutem informet. Quid ergo dicendum? Rhetoricam apud hunc sentiendi, & loquendi praestantissimum auctorem, & magistrum generatim definiri, vt sit industria in materia ciuili ad persuadendum aptissima, rationum facultate, & maxime verborum uenustate, inter artem quandam differendi, poeticaq; constituta; atque hanc ipsam intelligentia esse bonum, voluntati autem neq; bonum, neq; malum. Eius vero duas esse species, unam legitimam, alteram afferentiam. Illam in bonis: hanc in malis connumerari. Illam ex philosophia, grauioreq; poesi componi; hanc ex sophistica, vulgariq; poesi constare. Illius finem esse, certis rerum, uerborum, morum rationibus audientinm animos ad commune bonum perducere: hanc propositum habere per uerisimiles coniecturas, animorumq; concitationes quidlibet impetrare. Illius magistros non coquorum, sed medicorum similes esse: huius non medicoru, sed coquorum. Illam omni laude ornandam: hanc omni uituperatione exagitandam. Nam, quod per homines eloquentes plura detimenta, quam adiumenta Reb. publicis allata esse contendunt, faciunt mea quidem sententia iniuste, ne dicam illiberaliter. Ut enim ex oratorum numero nonnulli extirrent perniciosi; innumerabiles certe fuerunt, qui Resp. conseruarint, familias iacentes erexerint, opem tulerint supplicibus, excitarint afflitos, ciuitatibus quietem, populis securitatem compararint. Taceo ab eloquentibus uiris in agris homines passim bestiarum more uagantes fuisse in una incenia congregatos, & ad cultiorem uitam conuocatos, atq; ad diuinæ religionis, & humani officij rationem, ad legitimas nuptias, ad ius æquabile traductos. Taceo, urbibus constitutis, latis legibus, iudicijs propositis, cum sæpe de iusto, de utili, de honesto controuersarentur, eorum inter se dissidentes animos ad iustitiae normam, regulam, præscriptionem retinendam, ad commune bonum agnoscendum, & eius caussa labores excipiendo, ac uitam etiam ipsam amittendam, ad uerū decus, quod à sola uirtute manat, prosequendum, ab oratoribus fuisse incitatos. Taceo alias omnes eloquentia effectus omnium homi-

sentabat, ut multi eius uerbis auditis mortem sibi ipsi cōsciscerent, animumq; iniussu Dei corporis custodiis liberaret. Quod cum Prolemæus Rex intellexisset, ueritus, ne numerus mortaliū propter perniciosem Hegesiæ eloquentiam nimio plus diminueretur, uetus cum amplius iis de rebus disputare. Iam uero, addunt illi, quid aliud optimum Reip. Rom. statum conturbauit, nisi ab hominibus eloquentibus concitatæ seditiones? In quibus præcipui connumerantur Ti. & C. Sempronij, qui orti quidem sunt ex Ti. Sempronio Graccho haudquaquam eloquente: sed ipsi fuerunt valde diserti; atq; alter Diophanis Mytlenai auditor, maximus orator habitus est: alter si diutius vixisset, eloquentia habiturus fuisse parē nemine visus est. Ille tamē indifertus & sæpe alias, & maxime Censor cū C. Claudio Pulestro, cū libertinos in uerbana Tribus trastulisset, saluti Reip. fuit: hi uero, quibus non deerant nec naturæ, nec doctrinæ ad dicendū præsidia, optimā illam Remp. quæ à Pyrrhi Regis bello usq; ad tertium Punicum floruit, seditionibus concitatis uehemētissime perturbarunt. Quorum alter in turbulentissimo Tribu natu, ad quem ex inuidia Numantini foederis, à C. Mancino Cos. cum eius esset Quæstor, turpisime iicti acceperat, ad popularem aucupandam auram legē, tulit agrariam inuitis Senatoribus, atque equitibus: alter agrarios concitans maiorem fratri pietatem, quam patriæ præstare uoluit; ut merito ille Tribunus, auctore P. Cornelio Nasica in Capitolio iactus fragmentis subselliorum, ab optimatibus: hic Tribunitius Auentino, quem cum suis occupauerat, armis, pulsus, ab Optimianis interfectus fit. Hæc, & eiusmodi alia in medium afterunt illi, qui studiofis eloquentia aduersantur. Quos primum miror existimare, Platonem lōge omnium in dicendo grauissimum, & elegantissimum, qui in oratoribus irridendis se summum orationem ostendit, sub persona Socratis ea dicere aduersus Gorgiam, quod ita sentiat, & non magis cauſa refellendi Gorgiam: eò magis quod idem alibi uenustatem orationis in ordine positam summis laudibus effert; oratorem humanarum rerum, animorumq; scientiam habentem, diuidendi, ac componendi peritum, non ueritati uerisimilitudinem, sed uerisimilitudini ueritatem anteponentem, nec putantem, quid uerisimile sit, absque ueri notitia se posse cognoscere, sed ad ueritatem indagādam

num admiratione dignissimos. Tantum id, quod potest ad cōfutandos aduersarios sufficere, in medium affero, miris, atque immortalibus beneficiis s̄apissime omnes Resp. affici ab eloquentibus solitas esse. Testis est Lacedæmoniorum ciuitas, quæ nobilissimam de Messeniis uictoriā Tyrtæi eloquentiæ accēptam retulit. Cum enim Lacedæmonii oraculo moniti ducem contra Messenios ab Atheniensibus petijsent; & Tyrtæum claudum, magis lingua, quām ceteris corporis partibus pollentem, Iudibrio missum, libenter accepissent, eius eloquentia inflammati hostes superarunt. ò rem admirabilem, atque apud omnes homines celebrandam, Messenii Lacedæmoniorum exercitum fundunt: Tyrtæus reducit iterum fugant: iterum reuocat. tertio fusum persequuntur: tertio fugatum restituit. Illi tandem funduntur, fugantur, trucidantur: hic uictor ex acie concisis illorum cateruis excedit. Quid dicam de Atheniensium ciuitate summis usa beneficiis Demosthenis, Aschinis, Hiperidis, Demades, aliorum innumerabilium oratorum, qui persæpe eloquentiæ uiribus patriam prope cadentem sustinuerunt, & statum ciuitatis integrum, atquæ incolumem præstiterunt? In historia autem Rom. cui non mirum uideatur factum L. Bruti, qui oratione sua persuasit reges expellendos, & ciuitatem perpetuo dominatu liberandam? Quis non existimet eloquentiam M' Valerii Dicitoris Reip. Rom. fuisse utilissimam, tunc, cum AEquis, Volscis, & Sabinis una omnibus mouentibus plebem, ad bellum nomina profiteri nolentem, nexorum causa irata gratissimis uerbis repressit, & sedata seditione tres conscripsit exercitus, unum, quem T. Veturius cos. in AEquos, alterū, quem A. Virginius collega eius in Volscos, tertium, quem ipse in Sabinos perduxit; ut merito Maximus appellatus sit, & cui domus publice in Palatio ædificaretur, dignissimus uifus sit? Quis neget plurimum utilitatis attulisse ciuitati Rom. Meneonium Agrippam, eum, qui cum aliis nouem consularibus, in quibus deposita dictatura etiam fuit is, quena modo nominauit, M' Valerius, in eum montem, qui Sacer appellatus est, in quem secesserat plebs irata patribus, legatus uenit, & per uulgato de uentre, & membris apolo, plebem in urbem reuocauit? Quis non fateatur L. Valerium Potitum urbi Romæ plurimum profuisse, à quo plebs in Patres incitata abdicatis

Xuiris,

23

Xuitis, legibus & concionibus mitigata est? Iam uero, ut ad minus uetera ueniamus, quot, & quanta extiterunt in Remp. Rom. merita M. Tullij Ciceronis, qui præter alia adiumenta ciuibus suis allata, à sceleratis Catilinæ machinationibus, nefarijsq; consilijs patriam eloquentiæ uiribus liberauit? Dies, vox, latera me deficiant, si commemorare omnes velim, qui sua eloquentia Resp. adiuuerunt. Falsissimum igitur illud est, plus incommodi, quām commodi per oratores ciuitatibus importatum. Si qui autem dicendo obfuerint; id magis tribuendum est hominum vitio, quām oratoriæ facultati. Id enim commune est cum omnibus bonis, præterquām cum uirtute, ut ijs & uti, & abuti homines possint. Quamobrem, ut non accusabimus robur, si quis robustus obuios uerberet; nec diuitias, si quis his ad scorta utatur; nec rei militaris scientiam, si quis eam ad occupandam Remp. adhibeat; nec medendi artem, si quis eam ad perniciem hominum conuerterat; nec disputandi doctrinam, si quis eam ad probanda illa, quæ falsa sunt, conferat; neq. alia omnia, quæ vitissima sunt, si quis ea malitiose in utilissima reddat; sed ipsos homines his ipsis rebus male utentes vituperabimus, & hominum, non rerum vitium notabimus: sic non damnabimus artem Rhetoricam, si quis per eam aliquibus detrimentis Resp. afficiat; sed abuentis oratoris prauam naturam exagitabimus. Eadem n. ratio est agrorum, & oratorum. Nam, ut illi non omnes fructum ferunt, quamuis colantur: sic hi non omnes sunt viles, quamuis dicendi studio subigantur. Quemadmodum autem agricultura cum foecūdos agros adepta est, mire fructuosa est: sic ars Rhetorica, cum est idoneam complexa naturam, dici non potest, quām sit ad humanos usus accommodata, quām opportuna, quām admirabilis. Hæc uera, & iusta, quæ natura sunt potiora falsis, & iniustis, probat, ut iudicia recte decernantur, in quibus res veras, & æquas à falsis, & iniquis superari, turpissimum est. Hæc rationem continet persuadendi apud oēs, cum alias artes aliquos tantum doceant. Hæc contraria colligit, non ut utrunq. sequamur (mala enim persuadere nequaquam decet) sed ut utrunque cognoscamus, & male sumpta, falsaque refellere possimus. Hæc denique efficit, ut, quò oratio est magis propria hominis, quām corporis usus, eō præstantiores videamus

deamur, si oratione nobis auxilio simus; quam si corpore. Quas Aristot. rationes alias pluribus uerbis declarabo. Puderet aut me id, quod dicturus sum, dicere, nisi apud perspicacissimos Aud. orōnem haberē. Tanta, ac tā late patens est Rhet. artis utilitas, ut ea ipsa regere latissimū quendā mundū videatur. Tametsi nō sumus Democritici, ut innumerabiles esse mūdos arbitre mur:tn, quod ad hunc locum attinet, dicimus tres esse mūdos, qui vniuersitatem rerum complectūtur, vnum naturæ, in quo cœlum, & elementa cernuntur, qui continet terram in medio sitam ad uniuersi cœli complexum quasi puncti instar obtinet, & aquam, & aerem, & ignem, ex quibus omnibus & animantium, & earum rerum, quæ gignuntur ē terra, formæ ortæ sunt; qui continet astra: tum infixa, tum errantia; qui denique continet omnia; alterum mentis, in quo, quidquid est in naturali mundo, cogitatione depingitur, & tamquam in speculo res lucet; ut, quemadmodum quidquid est, in mundo est, sic quidquid in mundo est, in mente sit: tertium orationis, in quo omnia, quæ mente concipiuntur, repræsentantur; vt, quemadmodum extra mundum nihil est, & nihil est in mundo, quod non sit in mente: sic nihil uel in mundo, uel in mente sit, quod in hominum oratione non versetur. Quam orationem ars Rhetorica gubernat, & moderatur, atque ita ornat, ut, quantum homines bestiis excellunt, tantum homines hominibus ornata oratione excellere videantur. Quid dicam orationem esse instrumentum rationis, quam communem habemus cum Deo, quamque potissimum differimus à ceteris animantibus? ut quemadmodum homo esse non potest, nisi prædictus sit rationale: sic apparere homo non poscit, nisi oratio proferat rationem. Iam vero nemo dubitauerit, qui dicendi artem cum ingenio coniunxerit, eum efficere illud melius posse, quam qui naturam vnam secutus artis adiumenta, atque præsidia non habuerit. Ars enim excellentia ingenia subleuat, rudia acuit, inertia excitat, omnia docet, instruit, corrigit, in uiam ducit, nec suis freta viribus inani efferti insolentia patitur, uerum honestissimis industria: carceribus continet, & quibus natura habenas effundit, fræna iniicit. Cum igitur oratorum facultas, quæ legitima sit, non assentatrix, quamplurima, & maxima Rebus p. afferat adiumenta, & si non nulli oratores videntur obesse, id magis eorum

24
eorum malitia: quam arti tribuendum sit; latissimeq; pateat ei-iusmodi disciplina: fructus: nolite spernere, Aud. tanta comoda artis Rhetorica: sed repudiatis istis reprehensoribus in studium eloquentiæ incumbite; & quam curam de doctrina dicendi adhuc suscepistis, eam uobis nequaquam esse deponendam existimate; mihi uero eloquentiæ præcepta explicaturo ita operam date, ut uobis persuadeatis medies, noctesq; nihil aliud, quam de uestris utilitatibus cogitaturum. In primis autem amate studium artis Rhetorica Aristotelis, et orationum M. Tullii Ciceronis, ut perfectam, et absolutam huius rei cognitionem habeatis; et, non solum, quæ de ratione dicendi sapientissimus omnium philosophus, et Rhetor tradidit, cognoscatis, uerum etiam clarissimi oratoris præclararam consuetudinem obseruetis; quorum alter magis in præceptis conscribens, quam in orationibus conficiendis excelluit: alter melior extitit orator, quam dicendi magister; ye mirum non sit, illū quidem in oratorum numero habitum non esse, qui philosophiam in primis professus est, atque, si balbus fuit, quemadmodum Plutarchus in libro de poetis audiendis, & Laertius in eius uita memoria prodidit, ne aptus quidem admodum erat ad cauſas peragendas, munusq; oratorium obeundum: hunc vero minus potuisse, quam volebat, ex optimis scriptoribus optima quæq; hautire, qui publicis, priuatissq; amicorum negotijs fuit ualde impeditus, atq; occupatus, vir alioquin ad dicendū maxime aptus, & natus: vtterque tamen, alter cōtēplator, alter actuosus, si simul iungatur, exemplum haberi omnis perfetta, atque absolute eloquentiæ mea quidem sententia potest. At, dicet aliquis, nonne & Cicero inter opera, quæ cōscriptis quamplurima, artem quoque oratoriā plurimis, pulcherimisq; præceptis adornauit, quibus contenti esse possimus, sine obscurissimis Arist. libris, qui ne à Philosophis quidem sèpe intelliguntur, nedum ab ijs, qui huic arti student? Evidem Ciceroni, quem tanti facio, quanti debeo, vix quidquam detrahere ausim: sed (si quod sentio, libere dicendum est) quomodo comparari cum Aristotele debeat, minime video. Hic enim ut in ceteris artibus, & facultatibus, quas pertractauit, sic etiam in Rhetorica non solum superiores omnes superare, sed posteris quoque omnibus spem melioris doctrinæ prope in

in perpetuum præcipere uisus est. Ille uero, cum ad Rhetoricum studium suo ingenio, suaq; industria exornandum animum appulisset, & scriptores omnes tum Grecos, tum Latinos, qui dicendi doctrinam tradiderant, ad sua locupletanda opera adhibuisset; professus quidem est, se ex Aristotele ipso optima quæque libasse, & nonnihil etiam de suo in commune contulisse: sed tantum abest, ut præstantissima omnia complexus sit, & Aristotelii aliquid addiderit, ut quemadmodum certis Latinis meritissimo anteferendus est, sic si cum Aristotele conferatur, nullum prope orationum genus perfecte tradidisse, nullum oratorium artificium absolute docuisse, nullam artis oratoriae partem exacte conscripsisse videatur. Age enim (ut totum Rheticum negotium breuiter percurramus) cum hæc ars tres præcipuas oratoris partes exornet, inuentionem, dispositiōnem, elocutionem (nam memoria, & actio sunt magis naturales, quam artificiosæ) cunq; inuenit triplex artificium complectatur, argumentationis, affectuum, morum, de argumentatione quidem oratoria satis Cicero Topicam facultatem instruxit, sed alia uix attigit: at Aristoteles entymema te, & exemplo mire adornato, non solum docuit Topicam, & quidem, ut solet, multo melius, verum etiam propositiones omnibus caussarum generibus communes, eius, quod fieri, uel non fieri potest, futuri, uel non futuri, facti, uel non facti, magni, uel parui, & propositiones singulorum generum proprias, quibus aliquid esse vtile, uel perniciosum in genere deliberatio, honestum, uel turpe in demonstratio, iustum, vel iniustum in judiciali probari queat. De affectibus vero ille pauca quædam conscripsit, in quibus non admodum certa via, & ratio inuenitur animorum concitandorum: hic multa tradidit, & quidem mirabili ordine, ut de unoquoque affectu facile intelligatur, quid ipse sit, qui, in quos, quas obres afficiantur, quomodo idem excitetur. De morata autem oratione ille non omnia uidetur comprehendisse: hic utilissime præcepit, in oratore tres mores exprimendos esse, prudentiam, probitatem, benevolentiam; ad auditorum mores accommodandæ esse orationem, quorum quatuor sunt genera, ex affectib; ex habitib; ex æstatibus, ex prospera, aduersa fortuna; elocutione quoque moratum esse oportere, & generi, atq; habitui eorum,

de

25

de quibus agitur, respondere. De qua elocutione ille pluribus, & longioribus sermonibus disputauit, agens de uerbis simplicibus, & coniunctis pluribus in locis, & integris etiam libris: hic breuiore complexus est disputatione omnia, quæ ad verba simplicia, & coniuncta pertinere videbantur; & quidem clarior methodo, ac doctrina. Etenim præter illa, quæ in arte Poetica de elocutione subtilissime obseruauit, præter verba propria, domestica, translata, addita ad nomen, diminutiua, frigida, per similitudinem mollita, quæ in simplicibus spectantur, non solum elocutionem emendatam, & numerosam explicauit, quæ duo in uerbis coniunctis potissimum esse cernenda, Cicero censuit, verum etiam amplificatam, & cōcisam, decoram, fusam, & uersam, uurbanam, conuenientem, & quidem conuenientius, quam Cicero. Quid dicam de partium dispositione? Ille communiora quædam, & magis trita præcepta est persecutus, de benevolentia, attentione, docilitate in procemijs comparanda; de perspicuitate, probabilitate, breuitate, in narrationibus adhibenda, de ratiocinatione, & inductione in confirmationibus usurpanda, de partibus perorationis, aut tribus, enumeratione, indignatione, conquestione, aut duabus, enumerone, amplificatione, aut una, nempe amplificatione (raro n. in suis sibi constare præceptis visus est) hic magis proprie, & exactius docuit, procemia demonstrativa duci ex quinquelocis, laude, vituperatione, suasione, dissuasione, ijs, quæ referuntur ad auditores; deliberatiua ex quinque, criminacione, depulsione, amplificatione, diminutione, ornatu; iudicialium esse duplex munus, unum maxime proprium, & necessarium, indicare finem, cuius gratia oratio instituta est, alterum commune, & medicamentum quoddam animorum ductum ab oratore, ab auditore, ab aduersario, à re ipsa: sic propositionem in omnibus orēnibus esse necessariam una cum confirmatione, & narrōnem congruere generi demonstratio non continenter, sed in partibus, deliberatio assumptam, iudiciali continenter: sic confirmationis deliberatiua proprium instrumentum esse exemplum, iudicialis entymema, demonstratiæ amplificationem: sic perorōnem orationibus demonstratiuis non admodum conuenire; nec deliberatiuis, nisi cum existit, qui contradicat; sed judicialibus, & quidē non omnibus, velu

G ti



C V M

INCIPERET EXPLICARE

Topica Ciceronis.

Antonij Riccoboni Oratio.

V M alia multa, Aud. recte à maioribus nostris instituta sunt; tum illud in pri-
mis, quod decretis publice honestissi-
mis præmijs, & ex doctissimis illis vi-
ris, quorum hæc ciuitas magnam co-
piam, & nativo quodammodo semine
fæcundam segetem fert, non pauci de-
lecti, & summi ex omni terrarum parte
doctores acciti sunt, qui in hac antiquissima vrbe, & in hoc
celeberrimo gymnasio tum sapientiam, tum eloquentiam pro-
fiterentur, nec solum bene sentiendi, sed etiam bene dicendi
præcepta studiosæ traderent iuuentuti. Nimirum cognitum
est, finem optimæ cuiusq; Reip. esse commune bonum; & ad
eius boni rationem habendam plurimum valere rectissimas
artes; in gerenda autem Rep. requiri tum prudentiam eloquen-
tem, tum eloquentiam prudentem; vt, quemadmodum nauim
non gubernator solum, sed etiam clausus gubernat; equum
non eques tantum, sed etiam frænum regit: ita Remp. non ma-
gis prudentia, quam eloquentia administret. Neq; ignoratum

G 2 est,

ti paruis, & eiusmodi, ut res ipsis comprehensa facile sub me-
moriam cadant; eiusq; quadruplex esse munus; tum ut bene in
oratorem, male in aduersarium constitutus auditorē: tum ut re
amplificet, & deprimat: tu mvt animum auditoris ad affectus
impellat: tum ut memoriam renouet. Ex quibus omnibus satis
constare potest, quām perfectus, & absolutus fuerit Arist. in
tradenda ratione dicendi: quām quodammodo mancus, & di-
minutus Cicero; etiamsi ille in nullo prope numero fuerit
oratorum philosophiam in primis professus; hic optimus, &
perfectissimus extiterit orator, inclusq; ex arte dixerit, quām
artem docuerit; ut si perfectam, & absolutam eloquentiam per-
cipere velimus, simul ad illius artem, & ad huius orationes
confugere debeamus; non aspernantes interim uaria de rebus
oratorijs opera Ciceronis: sed ea cum præceptis Arist. coniun-
gentes, & ubi alter deficit, per alterum supplentes; in primisq.
summi philosophi artem ad summi oratoris artificium expla-
nandum, huiusq; arrifcium ad illius artem explicandam con-
ferentes. Quod ita efficiemus, ut omnia obscura, quantum
in nobis sit, illustremus: & Arist. aureum orationis flumen lin-
gua Græca fundentem ita Latine interpretemur, vt, qui litteris
Græcis minus delectantur, à nostris interpretationibus pro-
pter Græcarum vocum interiectum minime absterreantur:
atque ex orationibus Ciceronis illam primam declaremus scri-
ptam pro Milone, quam merito Quintilianus orationum pūl-
cherrimam, & nobilissimam, Asconius autem iure

primam appellauit. In quo dupli mu-

nere nostro quām diligentissime
obeundo, dabimus sane ope-ram, ut, quantum possi-
mus, quantumq;

valeamus,

uobis

omnibus, si non omnino, at aliqua fal-
tem ex parte satisfaciamus.

Habita Patauij postridie Non. Nouembris. M.D.Lxxii.

Cum

est, ut homo constat ex animo, & corpore, ita ciuitatis gubernationem ex recta prudentium mente, & parata eloquentium lingua contineri; ac mentem ita liberalibus disciplinis ornandam esse, ut linguae ornamenta ne deserantur; atq. orationis venustatem ita sequendam, ut aliarum scientiarum utilitas ne respueratur. Quam eloquentiae, & sapientiae societatem, atque cognationem cum aliqui non uideant summe necessariam esse; partim malunt haberi, & esse sapientes, quam eloquentes: partim ita vnam amant loquacitatem, & cantilenam, ita unam complectuntur uocum concinnitatem, & uerborum normam, ut curent tantum, quemadmodum redigant in quadrum, numerumq; dictionem suam, & quemadmodum quasi colorent, & comant orationem; philosophiam autem, & ius ciuile, aliasq; bonas artes bene sentiendi rationem continent nec attingant, nec eloquenti futuro admiodum attingendas esse arbitrentur. Cum autem superiore anno primos illos, qui in grauiorū doctrinarum studio elaborantes omnem orationis cultum negligenter, & barbariem affectarent, atque eloquentiam flocci facerent, fregerimus, & abiecerimus; hoc anno, quo Topica Ciceronis ex Topicis Aristot. collecta, & pulcherrimis iurisconsultorum exemplis, quod ad Trebatium iurisconsultum scriberentur, illustrata decreuimus explicare, quo sedes, & domicilia omnium argumentorum à philosophis excogitata, & inuenta nobis erunt diligentissime perlustranda, quo multa iurisconsultorum loca declaranda, quo veterum opinione de ratione inuentionis excutienda, & omnino exquisita, ac præclaræ epulæ animis vestris præbenda; contra istos delicatos, et molles, qui nos abstrusa, et recondita perscrutantes reprehendunt, qui nos philosophiae, ac iuris ciuilis fontes gustantes, tamquam eloquentiae limites, ac terminos præteruectos, venenatis, & pestiferis inuidiæ morsibus dilaniant, contra istos leues, & ineruditos, magis loquaces, quam eloquentes, qui toti in verbis, et nugis sunt occupati, non quicunque possumus (sunt enim innumerabilia) sed quantum satis erit hodiernæ prolationi, quantum licebit per modestiam, et æquanimitatem vestram, quantum temporis angustia feret, adducemus. Audire autem videor iamiam istos submurmurantes, Quid? qui post eloquentissimorum hominum mortem orbæ eloquentiae quasi

tutor

tutor est constitutus; cui negotium datum est, eius vt adulteræ virginis caste custodiendæ; cui patrocinum commendatum est omnis elegantis, et ornatae dictioñis, ac conscriptionis; alia agat, uerborum elegantiam, et ornamenta deferat? Non id facio, buccæ canoræ, magis lusciniis, quam hominibus congruentes, tantumq; abest, vt politam, et venustum orationem contemnam, vt eam ab omnibus prorsus hominibus arbitrer complexendam. Nam profecto, Aud. eadem ratio est orationis, ac ceterarum rerum, in quibus non sola utilitas, sed etiam dignitas, et uenustas quæritur. Etenim si respiciamus hanc rerum vniuersitatem, inueniemus necessario rotundum esse cœlum, quod in alia figura, ut coni, uel cylindri, haec æqualitas motus, constantiaq; ordinum seruari non poterat; necessario terram suis librataam ponderibus medium esse; necessario Solem circumferri, et modo illustrare terram præsentia sua, modo opacare absentia, unde nobis efficitur dies, et nox, et frigoris, accaloris modum tum accessibus, tum recessibus suis temperare; necessario Lunam tum adire ad Solem, tum digredi à Sole, unde eius lumen uel tenuissimum, uel plenissimum redditur, ad animalia alenda, atque augenda, eisque, quæ gignuntur è terra, incrementum, maturitatemq; afferendam; necessario Saturnū, Iouem, Martem, Mercurium, Venerem, modo occultari, modo aperiri, modo moueri, modo insistere ad quoddam tempus; necessario aquam terræ adhærescere, superiorem esse aerem, igni altissimam oram datam esse: hanc autem necessitatem cum tanta pulchritudine esse coniunctam, vt merito tam admirabilem rerum ordinem Latini à perfecta, absolutaque elegantia Mundum, Græci ab ornamento μόριον nuncuparint, quod nihil mundius, nihil ornatus, nihil elegantius, nihil pulchrioris fit. Si animum referamus ad hominem, quem alii minorem mundum, alii magnum miraculum appellant, qui medius est interiectus inter cœlestes mentes, et animalia ratione carentia, partim mortalibus, partim immortalis, partim terrestris, partim cœlestis; reperiemus singulas in eo tum animi facultates, tum corporis partes ad necessarium quandam usum fuisse coparatas, ita tamen admirabiles, atque inter se admirabiliter respondentes, ut tametsi ipse homo monstruni quoddam possit uideri, quod inter mortales omnes diuinitatis particeps sit, quod

quod supereret naturae vires animi sui immortalitate, quod ui
quadam, et potestate ex omnium animantium naturis constet,
quod simul & mortalitatem, & aeternitatem in se contineat: ta-
men magnificentum, præclarum, singulare, eximum, ac omnino
speciosum, & pulchrum monstrum existimandum sit. Idem di-
cendum est de animalium rationis expertum forma, & figura,
in quibus nihil ociosum, nihil superuacaneum, nihil inutile, ni-
hil casu factum, ut stulte putabat Democritus, & Epicurus; sed
omnia operosa, necessaria, utilia, & summa arte summi opificis
Dei extructa sunt, cum maximo decore, & ornamento. Idem
de arboribus, quarum radices imbibunt terræ humorem, trun-
ci firmant uniuersam molem, rami ferunt fructus, folia uesti-
unt ramos, & fructus; quæ partes omnes cum sint ad suam re-
tinendam, conseruandamq; naturam, sunt etiam uenusta. Sed
ut naturam linquamus, non ne idem fit in artibus? Aedificia
construuntur ad arcendas solis, & imbris iniurias, non sine mul-
tis, quæ maiorem afterunt delectationem, quam utilitatem; ut
etiam quæ necessitatis caufa cōparata sunt, ut tectum ad nos,
nostraq; protegenda, ut parietes ad uim uentorum coercen-
dam, ut columnæ ad tecta, & porticus sustinendas, suum habe-
ant nitorem. Arma, tela, copiæ parantur, ut omnem uim à
corpo, à capite, à uita nostra propulsimus: omnia tamen de
cora, & nitida. Nauigium sit cum lateribus carinis, prora, pup-
pi, antennis, uelis, malo, reliquis, quæ non solum salutis, sed etiā
uoluptatis caufa uidentur inuenta. Ergo in ceteris omnibus
iucunditatē cum utilitate coniungemus; in partibus orationis
suauitatem, & leporem repudiabimus? minime uero: Icd ut il-
lorum factum comprobabimus, qui cordis, et linguæ dissidium
abhorrentes non minori studio uerborum dignitatem, quam
sententiarum grauitatem persequuntur, exemplo Platonis, Xe-
nophontis, Aristotelis, Theophrasti, aliorum, qui ijdem fuerūt
et doctrinæ, et eloquentiæ studiosi: sic illos uchementer repre-
hendendos esse ducemus, qui flosculos tantum colligentes, et
quasi pigmenta in aiculis ad sūcādam orationem reponentes,
magis curant, quomodo dicant, quam quid dicant; ac dicendi
lumina ex unius Ciceronis scriptis, uelut ignem è cœlo noui
Promethei suffurantes, dictionem quidem suam quibusdam
quasi stellis illuminant, ac distinguunt, sed in rebus omnino ab
fundi

fundi, ac inepti sunt; cumq; alienas uoces undique eripiant, si
quid minus expolitum, minus elegans, minus Ciceronianum,
etiam dum artes traduntur, audierint, clamant, æque ac si uio-
latas esse aras, et focos animaduerterint. Quasi uero Cicero u-
nus latine loquitus sit, et non etiam ali; ac id tantum Cicero
niane dictum existimandum sit, quod Cicero dixerit, et non e-
tiam, quod ex Ciceronis in arte Rhetorica de nouandis, faci-
endisq; uerbis præceptione dictum sit; ac non aliud requirendū
in orationibus conscribendis, ubi uerba tanquam ad nor-
mam diriguntur, quadratur, componuntur, et quibusdam quasi
pigmentis colorantur, ac uelut calamistris ad speculum comuni-
tur, aliud in tradendis disciplinis, ubi adhibetur nudum, et sim-
plex orationis genus, quod ueritatis esse proprium etiam Euri-
pides scripsit, et proprietatis caufa admittuntur quædam, quæ
alioquin non aduitterentur; maxime uero si uerba sint noua-
ta, et facta ex Rhetorum præceptis, quæ profecto dicendum est
aut esse superuacanea, quippe quibus uti amplius non liceat
(quod affirmare nunquam audeam) aut esse necessaria ad for-
mandas illas uoces, quibus nec Cicero, nec alii usi sint. Sed con-
cedamus eis hanc ipsam uerborum, ut ita dicamus, supersticio-
nem. An uero etiam concedemus, ut Historiam, Ius ciuile, Phi-
losophiam moralem, Dialecticam non attingant, & eloquentiæ
proflanteantur? Nam, ut omittam opinionem Gorgiae Leontini,
qui omnibus de rebus oratorem uoluit optime posse dicere,
nil at esset cœlo, terra, mari, de quo non ille disputare co-
pissime, atq; ornatissime posset, quam sententiam tueri apud
M. Ciceronem L. Crassus aduersus M. Antonium videtur (faci-
le, n. patior oratori dicendum non esse de quadrandis circulis,
de diametri proportione cum quadrati latere, de conis, de py-
ramidibus, de similibus rebus, quæ cognosci ex scriptis Geome-
trarum possunt) nonne homini eloquenti tenenda est omnis
antiquitas, exemplorumq; vis, quæ tantum ualet ad auitorita-
tem orationis, ad fidem, ad delectationem? Nonne tam explo-
ratum est, quam quod exploratissimum, uersari oratoris of-
ficium in demonstratiuis, deliberatiuis, & iudicialibus caussis;
primas autem tractari cum laude non posse, nisi & eorum, qui
ornandi suscipiuntur, res gestæ cognoscantur, & aliorum ho-
minum maxime illustres actiones ad faciendam comparatio-
nem,

nem, quæ multum in hoc genere dominatur, mente, atq; animo perlustrantur; alteras exemplorum ualde indigere, ut ex rerum præteriorum similitudine futurarum fiat coniectura; tertias requirere, ut antiquiora iudicia uel similia, uel contraria obseruentur? Quomodo n. populus Atheniensis laudabitur, si quæ victoria ad Marathonem contra Darium, quæ ad Salamina contra Xerxem relata est, ignoretur? Quomodo populus Rom. exornabitur, si quæ cum Pyrrho, cum Pœnisi, cū Philipo, cum Perleo, cū Antiocho, quæ in Sicilia, Sardinia, Hispania, Illyrico, Macedonia, Græcia gesta sunt, nesciat? Quā apte pbatum est, q̄ pestem Catilina in ciues suos machinabatur, eā in ipsum conferendā esse, quod etiam à C. Seruilio Ahala Sp. Melius, quod à P. Scipione Ti. Gracchus, quod à L. Opimio C. Gracchus, et M. Fulvius, quod à C. Mario L. Saturninus, et C. Seruilius necati essent? Quām congruenter suasum est bellum Mithridaticum, quod leuiori de causa à maioribus decretum esset bellum in piratas, ut quod gesit M. Antonius, quod P. Seruilius, quod Cn. Pópeius; et Corinthus clarissima Græciæ urbs deleta esset; et cum Antiocho, cum Aetolis, cum Pœnisi bellatum esset? An non optime confirmatum est, si antea Quæstoribus in Prætores suos nominis deferendi potestas data non erat, ut L. Pisoni in C. Seruilium, ut M. Aurelio Scauro in L. Flaccum, ut Cn. Pompeio in T. Albutium; ne Ceciliū quidem ad accusationem Verris admitti oportere, quod ille hujus Prætoris Quæstor fuisset? An non recte demonstratum est, Licere homini hominem aliqua de causa interficere, quod licuerit M. Horatio fororem necare; quod P. Africanus C. Carboni Tribuno pl. responderit, Ti. Gracchum iure cæsum uideri; quod nefarii habiti non sint Ahala Seruilius, P. Nasica, L. Opimus, C. Marius, senatus ipse Rom. qui sceleratos ciues de medio sustulerunt? Historiæ igitur cognitio oratori perutilis est, quæcunq; ei causa agenda sit. Iam uero in foro, in iure, in prætorum tribunalib. legitimas, ciuilesq; controuersias recipere; de usucaptionibus, tutelis, agnationibus, alluvionibus, luminibus, stillicidiis, testamentis, codicillis, legatis, fideicommissis, certisq; rebus innumerabilibus, de quibus sunt caussæ forenses, loqui, cum homines leges, et ius ciuile ignorent; id uisum est Ciceroni turpissimum, atq; impudentissimum, mihi uero non solum

lum reprehensione, sed etiam poena dignissimum, quod s̄pē huiusmodi oratores legitimarum quæstionum insolentia, atque earum rerum, quæ à iurisperitis traduntur, inscitia, multitudem litium foueant, varietatem caussarum augeant, inueteratas altercationes confirmant, priuatas, publicasq; causas turbent, pupillis, viduis, alijsq; omnibus, qui se, suasq; fortunas, ac bona eorum fidei, & clientelæ commiserint, labem, perniciemq; afferant; digni meo quidem iudicio, qui non solum exsibilentur, & explodantur, uerum etiam lapidibus petantur, & ex foro, atque adeo ex ciuitate, immo vero ex finibus humanæ naturæ tamquam impuri, conscelerati, nefarij ejiciantur, expellantur, exterminentur. Quod vitium oratores nostri temporis adeo fugiunt, vt in alterum prolabantur. Nam dum totos se dant legibus perdiscendis, artem deserunt suam. O Marce Tulli: te libenter appello; quod videris inter ceteros hac ipsa de re plurimum laborasse. Tu conqueri solebas exiguum esse oratorum paucitatem, cum homines doctrinæ dicendi operam, studiumq; nauabant assiduum, cum declamatibat, cum scribabant quam plurimum, cum eas res, quas legissent, alijs verbis quam maxime possent lectis exercenda eloquentiæ causa pronunciabant, cum summorum oratorum græcas orationes explicabant, cum in alias exercitationes oratoris incumbebant: quid nunc faceres, si ab inferis excitareris, cum ab illis ipsis, qui oratorium nomen profitentur, ars oratoria pene tota est destituta? At si alterutra carendum esset. Audivel cognitione iuris ciuilis, uel ratione dicendi; satius profecto esset carere illa, quam hac, cum tamen necessarium sit alteram cum altera conjungere, ut singulare quiddam, atque eximium existat. Quod quia non fit, non nisi spinoso dicendi genere resonat forum, vbi rebus verba sine ullo splendore accommodantur; nec orationes ueterum exemplo conscribuntur. Vbi enim sunt tot orationum volumina, quot veteres fecerunt, ut Isocrates, ut Lysias, vt Demosthenes, vt Hyperides, ut M. Cato, qui amplius centum quinquaginta orationes conscripsit, ut Ser. Galba, etiam si antiquitatem eius orationes redolerent, ut Libo, ut L. & Sp. Mummi fratres, ut Ti. Gracchus, ut C. Carbo, ut L. Piso, ut C. Gracchus, ut Rutlius, ut Curio, ut C. Fimbria, ut Q. Catulus, ut Scæuola, ut Cæsar, ut Hortensius,

fius, ut Cicero, ut alij innumerabiles, qui cum in dicendo, tum vero in scribendo summopere elaborauerunt? His quidem temporibus aliquot orationes demonstratiæ à nostris scriptæ leguntur (quām bonæ, aliorum sit iudicium) deliberatiæ aut, & iudiciales vel prorsus nullæ, vel admodum paucæ, quæ orationum nomine dignæ sint. Quid ita? nulla profecto alia de causa, nisi quia nostratisbus oratoribus deest ars oratoria. Verum, ut eò, unde digressa est, nostra reuertatur oratio, tantum abest, ut homines eloquentes una verborum scientia contenti esse debeant, ut præter historiam, & ius ciuale, ex tribus philosophiæ partibus, quarum altera tractat naturæ obscuritatem, altera uitam, atque mores, tertia differendi subtilitatem, duæ oratori cognoscendæ sine dubio esse videantur. Quis enim non videat, quātum conferat moralis philosophia ad res iustas, iniustas, utiles, inutiles, honestas, turpes dijudicandas? Quis non intelligat, quām recte huius scientiæ p̄ceptis conficiatur, religionem sancte, diligenterq; colendam, labores excipiendos, & uitam etiam ipsam amittendam, communis boni caussa pietatem, & charitatem patriæ priuatis commōdis anteponendam, res bonas sequendas, malas fugiendas, uirtutibus adhærendum, à virtijs abhorrendum, officium liberter seruandum, dolorem patienter ferendum, aliaq; eiusmodi prope innumerabilia, quæ incidere in oratorum caussas consueuerūt? Nescio equidem, quid grauiter, ample, & copiose dici, atque explicari possit sine philosophia, qua nihil vberius, nihil florenzus, nihil præstabilius hominum generi datum esse eloquentiæ parens testatus est Cicero; quæ suppeditat oratori materialiam ad dicendum, vt, qui habeat eius omnes notos, & tractatos locos, ei uerba ulro occurrant, atque in buccam fluant; quæ una docet id, quod decet, cum omnium personarum officia patefaciat; quæ denique non solum benefactorum, sed et benedictorum omnium est procreatrix, & mater. Cuius maiestatem tantopere oratori congruere nonnulli sunt arbitrati, vt non solum eius partis, quæ actiones hominum informat, sed ne Physicorum quidem oportere eum esse ignarum tradiderint, quod omnia cum à coelestibus ad humana conuersio fiat, excelsius, magnificentiusq; & dicantur, & sentiantur. Nam eidem cognoscendam esse vicinam artis Rheticæ, atq; finitimæ

Dia-

30

Dialecticam, notissimum, atque exploratissimum est, vt habeat regulam rem vniuersam tribuendi in partes, inuolutam explicandi, obscuram explanandi, ambiguam distinguendi, antecedē tem, & consequentem videndi, veram, & falsam iudicandi. Nūc quid his immoror, cum hæc omnia à Cicerone pluribus verbis declarata sint, & illud nemini obscurum sit, cum uis oratoris rebus, & verbis nitatur, verborum volubilitatem inanem, atque irridendam esse, sine rerum plurimarum scientia? O rē vt difficilem, & laboriosam, ita utilissimam, & dignissimam. Sic enim fit, Aud. vt quò quidq; preciosius sit, eò pluribus vigiliis comparetur. Vt autē ea, quæ diximus, interius perscrutemur, tradidit philosophorum omnium maximus Aristoteles, omne artificium oratorium positum esse in affectibus, moribus, & demonstratione. Iam uero non video, quomodo possimus mettes auditorum permouere, atque impellere, vt aut irascatur, aut lenes sint, aut ament, aut oderint, aut metuant, aut fidant, aut verecundentur, aut non verecundentur, aut misereantur, aut stomachentur, aut inuideant, aut æmulentur, aut ad alios motus adducantur, nisi à Philosophis, Qui, Quibus, & Quas ob res affecti sint homines, cognoverimus, & omnino affectuum caussas, rationesq; percepimus. Quid dicam de morat̄ oratione? An vero in nobis exprimemus prudentiam, iustitiam, benevolentiam, vt recte videamur opinari, & non propter improbitatem tenebras offundere veritati, ac beneuoli esse iis, qui audiūt, nisi tenuerimus eos morum terminos, ac fines, quæ sunt traditi à Philosophis? An nostram accommodabimus orationem ad auditorum iram, cupiditatē, & eiusmodi affectus, ad uitia, & virtutes, ad senectutem, virilem ætatem, iuuentutē, ad nobilitatem, diuitias, potentiam, & quæ his sunt contraria, atque omnino prosperam, aduersamq; fortunam, nisi didicerimus à philosophis naturam affectuum, habituum, ætatum, fortunæ, quales sint lætantes, mœrentes, metuentes, sperantes, quales iusti, iniusti, fortes, timidi, temperantes, intemperantes, prudentes, imprudentes, quales iuuenes, senes, viri, quales fortunati, & infortunati? An decoram habebimus orationem, vt non solum subiectis rebus proportione respondeat, & affecta sit, sed etiam conueniat generi, & habitui eorum, de quibus agitur vt ætati, sexui, nationi, ut agrestium, & eruditorum naturæ, nisi

H a id,

deam scripsiterit Eupolis seditauisse. Hac ornatus Demosthenes eminuit vñus inter omnes in omni genere dicendi. Haec adiutus Cato à quatuor, & quadraginta accusationibus se defendit, ita ut semper sit absolutus. Hac fretus Cicero vrbem Romanam à coniuratione Catilinaria liberavit. Hanc statui, Aud. in huius anni curriculo vos docere, uobis proponens Topica cognoscenda; quorum profecto cognitionem spernere non debent, non solum eloquentiæ studiosi; cum inanis existat oīs elocutio, ac pene puerilis, nisi ex huiusmodi locis argumenta parentur; sed nec philosophi, cum hi sint veluti fontes quidā philosophici, vnde ad omnes disciplinas emanat omnis disputationis copia, nec iurisconsulti, cum hi sint iurisconsultorum exemplis illustrati, & à philosophia ad ius ciuale traducti. Quare cum intellexerimus, eloquenti futuro necessariam esse non solum Rhetoricæ, sed etiam Historiæ, Iuris ciuilis, Philosophiæ moralis, Dialecticæ cognitionem; nos, qui ad eloquentiæ laudem tendimus, rerum studium ad uerborum obseruationem adiungamus? ac illas præclaras artes toto pectorc complectamus; atque interim Topicam facultatem, quam studiosissime possumus, persequamur; quam quidem hoc anno vobis decreui explicare, adhibito in primis auctore M. Tullio Cicerone, qui non solum dicendi studio mirabiliter deditus fuit, cum daret operam Moloni Rhodio, & Demetrio Syro, uerum etiam Dialecticæ, audiens Diadotum Stoicum; & ut cū eloquentia sapientiam coniungeret, admirabili quodam studio philosophiam est persecutus, cum p̄ceptoriis uteretur Philone Principe Academiæ, & Antiocho ueteris Academia nobilissimo, prudentissimoq; philosopho; ac iuris ciuilis caussa multum operæ dedit Q. Scæuola, vt facile potuerit Topicam facultatem, præcipuam Rhetoricæ partem, ex Dialectica, & philosophia haurire, ac ad eam illustrandam ex iure ciuili clarissima exempla sumere ad Trebatium Iurisconsultum, ad quem scribebat, maxime accommodata; & non solum magna adiumenta subministrare oratoribus ad quamlibet quæstionem pertra standam; uerum etiam Dialecticis, & Philosophis, qui, prius quam iudicent naturam argumentorum, an sint necessaria, an probabilia, an captiosa, debent ipsa argumenta per Topicam disciplinam inuenire; ac simul iurisconsultis, qui, nisi hanc

Id, quod deceat, tum in sententiis, tum in uerbis intellexerimus à philosophis, qui tractare hunc locum in officiis solent? Itaque satis liquido constare arbitror, Aud. tum concitandi, tum conciliandi rationem à philosophis petendam esse. Quid demonstratio? nonne sumenda est cum ab Historia, à Iure ciuili, à Philosophia moralis, tum vero à Dialectica? Quæ cauſa fuit, cur sapientissimus scripsiterit Arist. Rhetoricam quasi agnatum quiddam esse, & particulam quandam non solum eius, quæ de moribus est, disputationis, uerum etiam Dialecticæ, & Rheticam ex altera parte respōdere Dialecticæ. Quamobrē orator abundans exemplis ex historicorum assidua lectione, & non ignarus iuris ciuilis, quo maxime egere causulæ forenses videntur, nec expers moralis rationis, ut inde locupletare orationem suam possit, ac peritus differendi, vt sciat recte uti enthymemate, & exemplo, quorum alterum idem Arist. modo corpus fidei, modo potentissimam fidem appellauit, alterum plurimum mouere, tam notum est, quām quod notissimum; quæ oratorum argumentationes cognosci non possunt, nisi Philosophorum ratiocinationes, & inductiones cognoscantur, ac illarum verisimilitudo ex hārum veritate percipiatur; his, inquam, instructus præsidiis, aliqua proposita materia communes locos à Philosophi traditos perlustrabit, tantamq; sine dubio argumentorum copiam parabit, ut facillime in suam sententiam adducturus esse eos, qui audient, uideatur. Nec meo quidem iudicio ineptus existimabitur ad blandiendum iis, apud quos dicet, ad rem gestam narrandam, ad ratiocinationes contexendas, ad sua confirmando, ad contraria refutanda, ad deprendandum, ad conquerendum, ad omne munus oratorium obeundum: sed cum maxima omnium attentione, atque admiratione audietur; ut occupatis locis in subfellijs, completis tribunalibus eius ob os omnes ora obuertant sua, quod fecisse Graios Cicerone dicente, memoriarum proditum est, ei omnes assentiantur, eius arbitratu, uel rideant, uel lugeant, eum tamquām Rosciū in scena admirentur. Orem præclarām, atque omnibus expetendam. O vim singularem, ac prope diuinam. Hac præditus Pericles fulgurare, tonare, permiscere Græciam ab Aristophane poeta dictus est, ac tantum posse dicendo creditus est, ut eius in labris sua sonis deam

nium Aristotelem antea uiris doctis magis laudatum , quām intellectum clarissimis explicationibus illustrauit; è cuius Schola , tamquām ex equo Troiano , ut de Isocrate ait Cicero, uiri docti quāmplurimi prodierunt, Themistius , Ammonius , Simplicius, Philoponus ; Olympiodorus, celeberrimi Aristotelis explicatores; qui tanta auctoritate fuit, ut nemo Peripateticus haberetur, qui se Alexandreum esse non profiteretur . Iam hos scriptores praeclarissimos in materia Topica duces habeamus: his pōtissimum studeamus : horum in primis praepraecondiscamus : istos autem uoluptarios , & effeminatos , quos non nisi uerborum iucunditas, non nisi mollitudo delecat, contemnamus . Hęc est mea, Aud. de toto genere hō sententia; quam cum ingenti mea uoluptate vobis intelligam comprobari, si, quo soletis maximo concursu , & quam à uobis exopto, maxima attentione, mihi operam dabitis.

Quod ut faciatis , vestra tuos hortatur utilitas,
vestrum decus , & mea singularis expo-
scit erga vos uoluntas, ardens stu-
dium , atq; admirabilis pro-
pensio ad vestris cōmo-
dis, & dignitati tū
publicē tum
priua-
tim seruiendum .

Habita in Gymnasio Patauino An.

M. D. Lxxij.



DE

hanc ipsam teneant in excogitandis ijs , quas recentiores dubitandi , & decidendi appellant , rationibus , excellere minime posse existimantur . Delegimus igitur materiam utilissimam , & auribus uestris quām dignissimam , atque auctorem præstantissimum , omnibus complectendum , omnibus amandum , omnibus admirandum , non solum egregium dicendi magistrum , uerum etiam eximium oratorem , & latinorum eloquentissimum ; qui , teste Quintiliano , cum se totum ad imitationem Græcorum contulisset , effinxisse uim Demosthenis , copiam Platonis , iucunditatem Isocratis videatur : qui non pluuias , ut ait Pindarus , aquas colligit , sed uiuo gurgite exundat , dono quodam prouidentiae genitus , in quo totas uires suas eloquentia experiretur : qui non immrito ab hominibus ætatis suæ regnare in iudiciis , & ubique loqueretur , dictus est , apud posteros uero id consecutus est , ut Cicero non hominiſ , sed eloquentiæ nomen habeatur . Hunc igitur , inquit idem Quintilianus , spectemus ; hoc propositum sit nobis exemplum ; ille ſe profecile ſciat , cui Cicero ualde placuerit . Cum autem Ciceronis locos Topicos plurimi , ijdemque clarissimi uiri editis commentarijs illustrare conati fuerint ; nos Anitium Seuerinum Boethium in primis ſequemur , eum , qui floruit Zenone in Oriente imperante , & Theodorico in Italia regnante circiter Annos Christi octoginta ſupra quadringentos ; & , quemadmodum fuit ultimus omnium ueterum Latinorum , qui literarum monumentis aliquid consignauerint : ſic fuit primus omnium , qui Aristoteliam doctrinam latinis litteris cœperint interpretari ; cumque alia multa ſcripferit , etiam ſeptem libros in Topicen edidit Ciceronis , uir non ſolum doctus , & ingeniosus , nec barbarus , ſed etiam sanctus , qui probitate , atq; innocentia ſua diuinos honores adeptus est , quod pro Catholicis contra Arij perfidiam mortem conſtantissime perpessus fit . Neque uero definemus Aristotelis ipſius , unde hęc sumpta ſunt , praeclarissimam doctrinam pendere , atque ad eam intelligendam præstantissimo aliquo interprete indigentem commentarios adhibere Alexandri Aphrodisiensis , eius , qui ſub Seuero , & Antonino circiter annos Christi ducentos philosophiam professus primus omnium

DE
NAVPACTEA
VICTORIA.

Antonij Riccoboni Oratio.



Venadmodum antea, Auditores, cum immanissimus Turcarum Tyrannus uiolato foedere multa inflixisset vulnera Reipub. Venetæ, nihil extitit christianis omnibus tristius, nihil miserius, quod Venetorum incommoda cum omnib. populis cultoribus christianæ religionis esse communia viderentur: sic nunc, cum videamus summo Dei beneficio hanç Rēpublicam, immo vero omnes Rép. regna, imperia, dominatus christianorum; vitam, bona, fortunas, coniuges, liberos; tecta, templa, oppida, urbes, prouincias omnes pulcherrima uictoria recreatas, atq; refeatas; omnes merito gaudemus, Aud. & Deo opt. max. immortales gratias agimus, qui nos ex ferro, & flamma, atq; ex ipso interitu eripuerit. Quod si ad iucundissimum nuncium omnes maxime lætati sunt, & maximam lætitiam pluribus modis significarunt; nec sola Venetiæ tanto lætitia motu prope dimotæ, & conuulsæ sedibus suis incredibilis iucunditatis multas significations dederunt; aut soli Venetiæ omnium generum, etatum, ordinum, effusione ex ædibus, concursu ex uis, complexu, osculis, modis omnibus post aduentum Trierarchi ad victoriam nunciandam

tiandam missi, tanta lætitia se auctos esse ostenderunt, vt sibi vix constarent: sed omnes homines omnium christianarum gentium, & nationum; quid dico omnes homines? immo vero moenia ipsa, & tecta locorum omnium, quæ antea quodammodo videbantur micerere, atq; imminentem christianæ religio ni calamitatem deflere, incredibilem iucunditatem præ se tulerunt; & constitutis ad omnia tempora supplicationibus ciuitates omnes ad lætissimum nuncium festos, atq; solennes dies celebrarunt: cur nos in hoc honestissimo viuensi terrarum orbis theatro conceptum gaudium non exprimimus; &, cum maius gaudium ex maiore boni cognitione oriatur, nos, qui vere cognoscimus, quantum sit hoc summi Dei beneficium, & ob id perfecte gaudemus, quantum voce, quantum lingua, quantum dicendi arte possumus, tantum ad tantum bonum prædicandum non conferimus? Evidem flatim vt nuntiatum est immanes hostes furentes audacia, anhelantes scelera, molientes christianis pestem, minitantes nomini christiano ferrum, & flammarum, fuisse frænatos, & fractos; cupiebam in tanto omnium gaudio exultare, ac triumphare oratione: sed factum est, vt, cum eodem tempore mihi ingrediendum esset in præclaram huius possessionem sedis, & prodeundum in lucem tot præclarissimorum Doctorum, in oculos tot studiosissimorum iuuenum, in domicilium omnium doctrinarum facem quandam ad eloquentiae laudem aspirantibus prælaturo; ne alia agere videre: præter illa, quorum causa illustrissimus Senatus me accersendum decreuit, distulerim hoc gratulandi officium in hoc tempus, quo variarum rerum, quæ de victoria afferebantur, cognita veritate, amplioribus verbis, & firmioribus argumentis gratulari rem tantam vobis omnibus possem. Ac profecto Auditores, si unquam gratulatio habenda fuit, quod nomen christianum divino auxilio à nefario hostium scelere defensum sit, & quæ una vera religio est, præpotentis Dei manu conseruata sit: hoc potissimum tempore id faciendum videtur, quo maiorem illos, cladem, quam unquam antea accepisse, notissimum est. Quia in gratulatione illud primum commemorandum duximus, qui factum sit, vt Tureæ ad tantam rerum potestatem peruererint, ex cuius potestatis diminutione, ac debilitatione magnum nobis gaudium exortum est: deinde vero, quanta cū laude christianorum

I stianorum

tum, Collatinum exulantem, Camillum, Scipionem, Ciceronem
eadem calamitate percusso; in Rep. christiana tot sanctissi-
mos viros omni scelere laceratos, orani credulitate raptatos,
omni acerbitatis genere diuexatos: verum etiam Remp. Christi-
anam, qua nihil sanctius, nihil praestatius, nihil pulchrius in-
ueniri, aut excogitari potest, tamquam nauem fluctuasse; & ad-
uersissimis ventis iactatam esse; ac Remp. Venetam christianæ
religionis filiam, cum sœpe alias, tum vero his annis ab efferis
gentibus, & nationibus terra, mariq; aditum ad occupāda o-
nia in ea ipsa per vim requirentibus perturbatam. Non solū
cognitum est, Pisistratum, Alcibiadē, Catilinam, Clodium,
impios multos, aliquo temporis spatio feliciter vixisse; si felici-
tas appellanda est, quæ cum scelere coniuncta sit: sed etiā Tur-
carum Imperium, quo nihil scelestius, nihil detestabilius, nihil
magis intolerandum videtur, diutius fortunatum fuisse. Cu-
jus rei præcipuam caussam si quis inuestiget, is profecto inue-
nit Deum sapientissimum, optimum, & maximum idcirco iis,
quos amat, multas obiicere difficultates, quod eorum nolit o-
ciosas desidere uirtutes, & quod eos magis remunerari velit:
malis autem aliquandiu opes, homines, regna, imperia permit-
tere, ut aperte cognoscant boni non in rebus inanibus, & flu-
xis positam esse uirtutis mercedem, sed in honestissimis labo-
ribus, & uigiliis amplissima eius præmia constituta. Hinc mī-
seriæ christianorum: hinc amplitudo Turcarum; præsertim
vero, quia christiani, cum in eo chari sint Deo, quod Christianam
fidem, tamquam optimam ducem, & fulgentissimam stel-
lam in maximis tenebris, & procellis sequantur: in eo tamen
diuinæ iustitiæ placere non possunt, quod constantiam perse-
uerantiamq; non retinent; sed cum profiteantur se insistere
uestigiis eius, a quo sunt seruati, & ad cœli possessionem in-
uitati: tamen vel rerum difficultate deterriti, vel sua leuitate
distracti eius præcepta deserunt, ad uias fallaces conuertitur,
multa offendunt, in multis errant, & labuntur; ut mirum non
sit, eos diuinæ bonitatis oblitos multis affligi vulneribus, do-
nec resipiscant. Cum autem alia errata Remp. christianam
miserrimam reddiderunt; tum uero principum dissensio, qua
nihil meo quidem iudicio est peius, nihil perniciosius, nihil
detestabilius. Quemadmodum enim miserum est, in corpo-

rianorum confernati sint: postremo quantum Deo immor-
tali propter tantam, & tam insignem victoriam debeamus. Il-
lud quidem inter omnes aliquo sensu præditos constat, orna-
tissimi Auditores, atque omnibus innatum est, & in animis om-
nium quasi exsculptum, esse quandam vim, animum, mentem,
sapientiamq; perfectam, quem Deum appellamus, omniumq;
rerum, quas ex ipsa æternitate sibi subiectas intuetur, quasi pro-
uidentiam quâdam, primum cœlestia, deinde in terris ea, quæ
ad homines pertinent, procurantem. Ferreus enim, & faxeus il-
le est, quem nec cœlum æquabiliter se conuertens, nec sol, alia-
que astra terras clarissima luce collustrantia, nec vicissitudines
dierum, atque noctium, nec commutationes temporum quadripartitæ ad temperationem corporum, & maturitatem fru-
gum accommodatæ, nec rerum ordines mouent, nec id, quod
maximum est, sapientissimorum, & sanctissimorum hominum
testimonia, qui Deum tâquam omnia, quæ videmus, suo nutu,
atq; potestate administrantem superioribus seculis sanctissime
coluerunt, & posteris omnibus idem faciendum esse tradide-
runt. In hac tamen diuina procuratione illud mirum videtur,
quod, vt quidq; optimum est, ita in maximas incurrit difficul-
tates; vt quidq; pessimum, ita fortunatissimum. Etenim non
solum inter singulos homines videmus plerunque optimos in
maximis molestiis versari, improbissimos, ac nefarios in sum-
mis voluptatibus; illos egentes, hos affluentes diuinitijs esse; il-
los repulsam pati, hos florere honoribus; illos in morbos, in
orbitatem, in contemptum, in odia, in omnia mala incidere; &
hos abundare iis omnibus, quæ suauem vitam efficiunt; illos
infelices, hos felices existimari: verum etiam inter ipsas Resp.
animaduertimus sœpe meliores pluribus malis, peiores pluri-
bus bonis affici. Itaque non solum compertum est, in Re-
pub. Atheniensi Cimonem, Themistoclem, Aristidem, AE-
schinem, Demosthenem, qui tamquam boni ciues, quam
plurima, & maxima in patriam contulerant beneficia, in exi-
lium pulsos esse; ne Soloni quidem ipsi humari in ea vrbe,
quam maxime ornauerat, contigisse; Socratem illum, quem suis
se optimum, integerrimum, modestissimum, sapientissimum,
memoriae proditum est, veneno necatum esse; in Repu. Rom.
Romulum ipsum senatorum manibus disceptum, ac dilania-
tum,

Venetæ, sed cunctæ Italæ, atque omnibus christianis pesta moliens; ac statim aggressus est Cyprum insulam, nauali gloria, & maris imperio celeberrimam, omnium rerum copiis, atque opibus circumfluentem. Quid dico aggressus est? immo vero occupauit, atque ita occupavit, ut passim per vias immannium hostium contra christianos debacchatus sit furor, uolatæ uirgines, uexatæ uiduæ, commaculati pueri, duces, & præsidæ miseris modis excruciatæ, & necati, spoliata templo, incensa aræ, denique quidquid mali dici, aut excogitari potest, id miseriis hominibus pro Christi fide pugnantibus à christiani nominis hostibus illatum est. O acerbum, & miserabile spectaculum, atque indignum, quod de belluis, nedum hominibus, de hæreticis, nedum ueritatis cultoribus haberetur. Adde, quod hostium classis toto mari prætabunda uolitauit, ut etiam in Venetias ipsas impetum factura, cunctamq; Italiam occupatura uideretur; multasque insulas euastauit, quæ uobis notiores sunt, quam ut cum maximo omnium dolore à me debeant commemorari. Horum autem tot, tantorumq; malorum fuisse causam principum dissensionem, uel ex eo apparere potest, quod statim ut opera Pii V. Pontificis Max. post hominum memoria sapientissimi, facta est sanctissima de christiano nomine defendendo conspiratio; atq; ipse cum Philippo Rege Catholico, atq; illustrissimis Venetis iniit societatem: effrænata immanissimi Turcarum Imperatoris audacia frænata est; christiani populi, quos Cypri expugnatio, Cyterorum, Zacinthi, Cephaloniæ uastatio, suburbiorum Corcyreorum exustio, non nullorum Epiri, atque Illyrici oppidorum deditio, hostilisque classis in nostra maria excursio exterruerat, ac perculerat, recreati, atque refecti sunt; Resp. Veneta, cuius unius statu uniuersæ Italæ, immo uniuersæ christianæ religionis incolumentem, atque amplitudinem niti, notissimum est, quæ iam horrebat hostium perulentiam, stupra, luxuriam, turpitudinem, libidinem, scelus, furorem, temeritatem, iniquitatem, subleuata, atque erecta est; & omnibus ad bene de uniuersa religione sperandum, quasi signum aliquod sublatum est. Atrocissimum enim, & periculosis imum bellum mandarunt Ioanni Austrio, illi, qui summi Imperatoris Caroli V. patris, & maximi Regis Philippi, fratri sui egregias uirtutes præ se fert; M. Antonio

Co-

tibus nostris externum calorem, externum uero frigus propulsare non posse; at longe miserius intus contracto frigori, aut in uenis, ac uisceribus concluso calor remedium non inuenire: sic in ratione gerenda Reip. magna miseria est, ab externis hostibus perterriti; at longe maior ipsas inter se dissidere Reip. partes, & quidem ita dissidere, ut non modo altera alteram non defendat, verum etiam alteram oppugnet. Ut autem externum frigus, externus uero calor male le habentib. corporibus molestior est: ita perniciosiora fuerunt Reip. christianaæ intus male affectæ externa vulnera illata ab immanissimis Turcis; qui, Christianis principibus non solum inter se dissidentibus, verum etiam altero de alterius pernicie lætantibus adeo potentes facti sunt, ut trecenta milia equitum, pedites sine numero, classem trecentarum triremium uno regis nutu possent comparare; qui multas urbes, multas prouincias, multa regna, atq; imperia illis ademerunt; qui Syriæ, qui Phœnicen, qui AEgyptum, qui vniuersam prope Asiam occuparunt; qui Africæ, atque Europæ non paruam partem imperio suo adiunxerunt; ut verissimum apparuerit illud, quod diuino afflatu proditum est, Regiones nostras eoram oculis nostris deuorari ab alienis: Quid vero superioribus annis fecerunt; vel potius quid non fecerunt, ut Melitam Insulam nobilissimam oppugnarent? Quam quidem agressi sunt tanta nauigiorum multitudine, tot bellicis tormentis, & machinis non solum numero, sed etiam magnitudine horribilibus, tanto rerum omnium apparatu, ut cunctorum Christianorū principum, nedum Melitenium equitum animos metu possent facillime consernare. Quam sine dubio expugnassent, omnia Christianorum præsidia superando; nisi præpotens Deus eam seruasset, omnibus declarando, quanta cultores veræ religionis prouidentia tueatur. Quid commemorem bellum ab eiusdem gestum atrocissimum, & asperrium in Pannonia? Quo in bello diem suum quidem obiit immanissimus ille Imperator, qui nihil unquam optare, quod non aggressus sit, nihil aggredi, quod non expugnarit, est visus: sed ei successit immanior filius, maximæ perfidiæ exemplar singulare; qui partim auaritia, partim superbia, partim in nostram religionem rabie ductus, iniustissimum Venetis intulit bellum, nō solum Reip.

Venetæ,

sem, quā omnes gentes, & nationes premebantur, superarunt, cum à profectione ex Messanæ portu ad uictoriam soli quatuor, & uiginti dies connumerentur, ut tam breui tempore tatum negotium explicari sine ope cœlesti non potuerit. Adde, quod priusquā prælium committeretur, uenti, tempestate, que hostibus obsecundarunt: postquā uero committi cœptum est, ita conuenerunt, ut id non nisi diuinitus factum uideatur. Tunc apparuit Hispana, & Itala uirtus, quarum proprium semper fuit superbos uincere, & debellare. Tunc apparuit egregia opera Austrii, & Columni, qui non aliter se gesserunt, ac se gessisse Miltiadem, & Themistoclem memoriae proditum est; quorum alter anno tertio olympiadis septuagesimæ secundæ aduersus Darium Persarum regem ad Marathonem prospere pugnauit, eiusq; copias profligauit: alter anno primo olympiadis septuagesimæ quintæ Xerxem, qui Dario successerat, & ut cladem à Dario acceptā ulciseretur, traciecerat in Græciam, ad Artemisium, & Salaminem mari superauit. Tunc mirabilem se ostendit excellens præstantia Venetij, qui, ut Sicinius Dentatus Achilles Romanus appellatus est: sic ipse Achilles Venetus appellari merito potest; quiq;, utille cicatricē auersam nullam, aduersas multas tulisse narratur: ita ipse, cum in confertissimos hostes non tamquā sextum, & septuagesimum ætatis annum agens, sed tamquā fortissimus iuuenis incurreisset, & cum Austrio præclarissimo rei maritimæ Imperatore triremem imperatoriam magno animo robore cepisset, nulla auersa uulnera, unum tantum aduersum in genu, idq; non magnum tulit. Tunc non defuerunt omnibus christianis nationibus multi, & Reip. Venetæ, cuius præcipua res agebatur, plurimi, qui pro aris, pro focis, pro patria, pro Rep. pro Christi fide se hostium telis obiecerint, & morte sua uictoriam suis peperint. Ex quibus honoris cauſa nominē, necesse est, Augustinum Barbadicum, uirum nobilissimum, atque omni uirtutum genere præstantissimum, in quo quidē nescio, quid magis admireret, an eloquentiam, qua alios rei maritimæ Imperatores ad statuendum prælum, & milites ipsos ad præliandum inflammauit; an fortitudinem, qua hostes cōsternauit; an constantiam, qua uitam cum morte commutauit; ut quemadmodum Epaminondas uerulta Lacedæmonis gloria,

Columnio principi præstantissimo; Sebastianó Venerio, & Augustino Barbadico, uiris præclarissimis; qui cum Pontificiam, Catholicam, & Venetam classem circiter Id. Septemb. ē portu Messanæ; quò conuenerant, eduxissent, & Corcyram magno animo aduenissent; quamquam anni tempore parum opportuno, tamen Deo duce pridie Non. Octob. Naupactum uersus nauigarunt; atq; ipsis Nonis, militibus non magis classico, quā Imperatorum eloquētia inflammatis, hostes ex portu Naupacti ad certissimam uictoriam conuolantes, & confluentes, paucissimis horis uicerunt, fugarūt, trucidarunt; quadraginta veteranorum militum millia partim ceciderunt, partim ceperunt; uiginti christianorum captiuorum millia crudeli seruitute liberarunt, atque uniuersam christianam Rempu. maximo metu exsoluerunt. O uictoriam singularem, atq; omnium hominum uocibus, ac litteris celebrandam. Caracosius archipirata omnium audacissimis christianis classibus exploratis longe pauciores inuenerat christianorum, quā Turcarum triremes. superbiebant hostes numero trecentorum nauigitorum, & robore quā plurimorum militum extra ordinē accitorum. secundo uento, ac tempestate utebantur. Iamiam sibi uidebātur omnes christianorum opes fudisse. Iamiam classes deleuisse. Iamiam Imperatores classium, & milites omnes contrucidasse. Itaque ludibundi in aduersa agmina irruerunt; atque ita irruerunt, ut undiq; tormentorum militarium sonitus audiretur, undiq; saxorum, quæ iaciebantur, fragor aures penetraret, undiq; gladiorum fulgor præstringeret oculos, atq; omnia militum clamoribus circumsonarent: cum manus Dei, illa inquam manus, quæ semper fuit, tum erga pios fidelis, tum erga impios terribilis, nomini christiano opitulata est. Etenim cum alia multa, Auditores, declarant, felicē tanti prælij exitum à Deo opt. Max. christianis confectum esse, tum uero tempus anni, quo pugnatum est; quod elegit Deus parum commodum hominum nauigationibus, ut intelligeretur, non humanis uiribus, sed cœlesti subsidio in tot, tantisq; periculis communem statum integrum, atque incolu[m]em conferuatum esse. Quid dicam de celeritate? Cn. quidem Pompeius celeriter uictoriam retulit de piratis, cum undequinq; ginta diebus eos uicisse dicatur: at celerius christiani eā clas-

& ueritate in cœlum laudibus efferant: nos uero tot, tantosque viros, qui pro Christi fide fortissime occubuerunt, laudamus, & benevolentia colemus sempiterna; quorum fama vigebit memoria seculorum omnium, à posteritate aletur, ab æternitate conseruabitur. Te vero, antiquissimum Patauium, in hac ipsa uictoriæ commémoratione quibus dignis uerbis re-censoeo; quod cum propter prima tuorum ciuium decora, & uetera dignitatis insignia, propter splendorem, & magnificen-tiam, quæ habere suum in te domicilium uidetur, propter hanc clarissimam omnis doctrinæ officinam, & celeberrimum omnium disciplinarum mercatum, quòd fit perpetuus studio-ſæ iuuentutis ex omnibus regionibus, assiduisq; cōcursus, propter alia multa, quæ in te mirabilia sunt, per totum terrarum orbem perpetuo celebreris: ne in hac quidem communi lătitia, & felicitate sine maxima præstantiæ tua laude commemo-raris, quòd præstantissimi ciues tui in tam insigni prælio egre-giam operam nauarint. Plurimis igitur hostium principibus trucidatis centum, & sexaginta triremes, multæ biremes, aliaq; aliorum generum nauigia in Christianorum potestatem per-uenierunt, aliae vero naues partim incensæ, partim fractæ, partim in profundo demersæ sunt, & paucissimæ quædam fugam arripuerunt; cum ne vnum quidem nauigium ex christianis classibus captum sit, duo tantum fractæ, paucissima uulnerata. O uictoriæ felicissimam, & laudem præclarissimam, tum summi Pontificis, qui tantæ fuit auctor uictoriæ; tum Catholici Regis, qui contra Turcarum immanitatem multum semper, nunc plurimum profecit; tum Reip. Venetæ, quæ cù ausa fue-rit arma capere contra potentissimos Turcas, quorum maxi-mas uites toties experta fuerat, & non tam Cyprum Insulam in ipsis fauibus hostium sibi defendere, quæ tantæ potentiae resistere, nec ullam rationem habuerit tot filiorum suorum, tot negotiatorum, tot mercium apud hostes commorantium, ut plurimas iniurias ulcisceretur, & Christianam Religionem tueretur; ipsos victores gentium, & nationum vicit; si quidem illud Imperium superauit, à quo Syri, à quo Phœnices, à quo AEgyptii, à quo Atheniensés, à quo Carthaginenses, à quo Ma-cedones, à quo tot regna, & imperia superata sunt; & eo quidem tempore superauit, quo non contra balistas, non contra

K cata-

ria, inuictaq; ad id tempus publica uirtute apud Leuctram, & Mantineam contusa, traectus hasta, postquam ei percunctan-ti dictum est primum clypeum esse faluum, deinde vero fusos penitus esse hostes, eam fibi auelli iussit, & in vulneris dolore æquo animo cum laude mortuus est: ita ipse cum cognouis-set concisas hostium cateruas, triremes partim incensas, partim fractas, partim captas; interfectum hostium Imperatore; monstrum illud, atque prodigium, quod per omnia maria volitans prædabundum incredibilem christianis perniciem afferre consueuerat, illum capitalem hostem christiani nominis Caracosium de medio sublatum; captum Syrochum insignē piratam; atq; alios omnes, qui clausi præfuerant cum insignibus nocturnis luminum, præter vnum, aut alterum, contrucidatos: tanum absuit, ut libenter non moreretur, vt, cum intelligeret se præstantia sua christianum nomen stabiluisse, etiam ridēs moreretur. O virtutem eximiam, atq; apud omnes gentes, & nationes ad perpetuum fortium virorum exemplum prædicā-dam. Quid dicam de egregiis Trierarchis, alisq; præstantissi-mis viris, qui in tanto prælio non sine maxima fortitudinis laude sanguinem effuderunt? quorum nomina non recenseo, non solum quia vobis non minus, quam mihi, manifesta sunt: verum etiam, quia satis pro dignitate in hac temporis angu-stia commemorari non possunt. Ac profecto, Auditores, hæc est vera gloria, quam tot, tantiq; viri sua sibi uirtute pepere-runt. Hoc est verum præmium uirtuti propositum, vt cū uel morte tua benemeritus fueris de Rep. immortaliter lauderis. Hæc est immortalitas, quam mortales cōsequi apud mortales possunt, ut cum communis boni causa omnes labores exceperint, & vitam etiam ipsam amiserint, volent per ora omnium. Quamobrem glorientur quidem Athenæ Codro suo, decimo septimo rege, qui cum Dores Atheniensibus, quòd Megaram Coloniam condidissent, bellum intulissent, se ex uaticinio pro patriæ salute deuouit; glorietur Carthago Phelenis suis, qui uiuos se obrui pro patria passi sunt; glorietur Roma Bruto, Curio, Deciis, aliisq; ciuibus suis, qui glorioſa morte immor-talem uitam in animis hominum sunt consecuti; glorientur aliæ urbes aliis fortissimis uiris, eorumq; facta, illultria certe, & glorioſa, sed uerbis, & sermonे hominum maiora, quam re, & ueri-

catapultas, sed contra ipsa fulmina pugnandum fuit. Id autem merito uidetur esse factum Duce Aloysio Mocenico, cum Mocenicorum nomen ad uictoriā, & imperii amplificationē natum sit. Quod cum alii prope innumerabiles ex nobilissima Mocenica familia nati declararunt; tum uero Thomas, Petrus, Ioannes, duces inclīi, quorum consilio, & opera plures vrbes sunt captae, plura oppida expugnata, & Venetum imperium mirabiliter custoditum. Quantum autem pro tanto, & tam insigni beneficio Deo Opt. Max. debeamus, uel ex eo perspici potest, Auditores, quod ante maris usus pene totus amissus erat, hostibus omnia occupantibus, quibus captiuitates, & cædes nauigantium, ac vexatio, direptioq; sociorum impunita erat, & libera; antea omnia erant in meru, audentibus etiam hostibus in nostra maria, & in nostros portus introire, atque in omnibus locis latrocinari, ut qualiscunq; strepitus audiretur, hostes timererint; antea aræ, templa, testa, mœnia ipsa in summo versari discrimine propter hostes christiani nominis, et latrones maris uidebantur; antea nihil audiebatur præter cædes, præter incendia, præter rapinas, inhumana hostium audacia, et intolexanda commissas, et quidem commissas cum maximo christianorum dedecore, quod inertes homines fortissimos superaserent, stultissimi prudentissimos, ebriosi sobrios, dormientes uigilantes; antea petulantia insidiabantur pudori, stuprum pudicitiae, fraudatio fidei, scelus pietati, furor constantiae, turpitudo honestati, libido continentiae, denique iniquitas, luxuria, ignavia, temeritas, uitia omnia, æquitati, temperantiae, fortitudini, prudentiae, uirtutibus omnibus; antea omnium salus periclitabatur, omnes communem miseriam deflebant, de omnium christianorum incolumentate dubitabatur, puerorum eiulatus, mulierum lamenta, uirorum gemitus, senum suspisia, priuata, publicaque omnia replebant: nunc uero amplissimo summi Dei beneficio maris usus recuperatus est; metu liberati Christianis, pericula sublata, christianorum præstantia patefacta; bona ratio perditæ, mens sana amentiae, iustitia iniustitiæ anteposita; ac nomen christianum altissimis radibus fixum est, ut nulla unquam uis id ipsum labefactare, nulla dimouere loco posse uideatur. Quamobrem merito, Auditores, cum tantum bonum inuicem gratulamur, tum uero Deo immortali immor-

tales

tales gratias agimus, qui immanissimis hostibus restitit; qui recta, qui templa, qui oppida, qui urbes, qui nos omnes saluos esse uoluit; qui summo Pontifici, Catholico Regi, Illustrissimis Venetis eam mentem, uoluntatemq; dedit, ut sanctissimo coniuncti uinculo tantum bellum susciperent; qui Turcis consilium ademit non pugnandi, quod unum omnes christianoru[m] opes euertere breui temporis spatio posse uidebatur, christia nos autem ad uictoriā deduxit, & ad imperii amplificationē incitauit; qui nos ex miserrimo, & crudelissimo interitu, cum maximo hostium detrimento, & minima nostra iactura eripuit. Quod si ueteres non solum celebrabant eos dies, quibus uel ipsi, uel eorum amici nati fuissent; sed eos etiam, quibus e magno aliquo discrimine erepti essent; vt Poeta ille Calendas Martias: quid nobis faciendum est de Diuæ Iustinæ huius ciuitatis maximi decoris die, quo nos omnes, quibus ingens periculum ab hostibus imminebat, conseruati sumus? cum præsertim in diebus salutaribus certam lætitiam concipiamus, in diebus natalibus incertam conditionem reportemus, & cum conseruamur, non mediocri voluptate perfruamur, cū uero nescimur, sine sensu simus; vt non minus sancti, non minus honorati, non minus iucundi, atque illustres habendi sint ii dies, quibus conseruati, quam illi, quibus nati sumus. Et, si coluntur ii dies, quibus unus est conseruatus, quantò magis colendus est ille dies, quo gladii in tot homines, populos, gentes, & nationes districti retusi sunt, mucrones à tot iugulis reiecti, ignes tormentorum militarium in tot oppida, & vrbes paratarum restincti? Cum autem alii honores Deo immortalis alijs temporibus iusti habiti sint, ac debiti: nulli tamen iustiores, quam ij, quos omnes christianæ ciuitates his temporibus pie habuerunt; nec ulli magis pij, quam illi, qui ad omnia templa huius christianissimæ vrbis sunt constituti. In quibus religiosissime se gesserunt præstantissimi præsidies, IACOBVS AIMVS, & PETRVS FOSCARVS; quorum alter exemplum præclarissimum habetur christianæ pietatis, ac bonitatis: alter Petrum Foscarum, cuius nomen representat S.R.E. Cardinalem, eundemq; Patauij Antistitem; & Paullum Foscarum, Venetiarum Episcopum, qui Patriarchæ loco sacris præterat; ac Hieronymum Foscarum, fratrem suum, Torcelli Præficiem,

K 2 imi-

imitans præclaram consuetudinem retinet in domo sua spe-
ctandi nihil aliud, nisi gloriam summi Dei. Horum insignibus
ad laudem vestigij, Auditores, quotidie magis insistamus; &
in vulneribus peccatorum nostrorum mirabiliter recreati, atq;
refecti habeamus semper ante oculos tum minas, tum pollici-
tationes Dei Opt. Max. affirmantis, si qui dereliquerint legem
sua, si qui in mandatis suis non ambulauerint, se visitaturū
in virga iniquitates eorum, & in verbiberis peccata eorum;
si qui uero audiuerint præcepta sua, si qui à vijs suis non aber-
rauerint, se ad nihil inimicos eorum depresso, & aduer-
sus affligentes eos usurum potentia sua; cumq; intelligamus ad
defendam maculam christiani nominis, ad communem salutē
consuandam, necessariam esse sanctissimam principum con-
fessionem, Deum precemur, veneremur, atq; imploremus, ut
eam non solum augeat, sed etiam tueatur; & in tanta omnium
lætitia diuinam bonitatem, quæ christianam Remp. ab omni-
bus insidijs, & periculis defensura est, neque amplius permis-
sura, eam ipsam, quam tantopere diligit, ludibrio, ac despectui
esse, sed beatam, florentemq; conseruatura, perpetuo laude-
mus; ac summum Pontificem, Catholicum Regem, Illustrissi-
mum Senatum Venetum, qui sanctissima conspiratione sua
tantum christianis bonum confecerunt, perpetuis præconijs
adornemus; atq; ad eorum omnium, qui fortissime pro Chri-
sti fide pugnarunt, & in primis Ioannis Austrij, M. Antonij
Columnij, Sebastiani Venerij, & eius, quem non sine lacrymis
commemorare possum, Augustini Barbadici, præclarissimorum
Imperatorum perpetuam prædicationem, quantum voce, lin-
gua, dicendi arte possumus, conferamus.

Habita in Gymnasio Patauino Anno
M. D. LXXI.

In Obitu



I N O B I T U P I I Q V I N C T I

Pontificis Max.

Antonij Riccoboni Oratio.



V A voce, Aud. quibusq; lacrymis deflebo eam, quam morte Pij V. Pontificis Max. calamitatem accepimus? Qua in re magis Nicolaus Ormanetus, Antistes religiosissimus, Iacobus Aimus, Prætor clarissimus, Petrus Foscarus, Præfectus præstantissimus, ostendere pietatem suam possunt, quam in grauissimo summi Pontificis casu? Quod signum pij officij dabit celeberrimum gymnasium Patauinum, quod non ignorat, si tringita die bus filii Israeli Aaronis, & Mosis mortem maxime defleuerūt, successore iam designato à Deo Opt. Max. multo magis nobis maiori, quam illorum fuit, miseria esse mœrendum? Quid efficies, nobilissimum Patauium, ut quam obseruantiam erga Christianam religionem, & sanctissimos viros iamdiu præfers, eandem nunc in obitu Pontificis Max. post hominū memoriam integerimi, atque innocentissimi ostendas? Quos genitus, & lacrymas effundet Venetorum Resp. in tam graui, & periculo bello tanto Pontifice, rerum suarum participe, scio

eo, adiutore destituta? Quibus modis vniuersa Resp. christiana angores suos declarabit, quæ in maximis procellis fluctuas, & aduersissimis uentis iactata, optimum, & sapientissimum gubernatorem suum amisit? Dic tu Christe, redemptor noster, qui assiduis precibus beatissimi senis motus nostris miseris succuristi, quantam in eo iacturam fecerimus. Aperi tu omnibus, si cuiusquam vnapa in alijs funus, & mois fuit ueris, & iustis lacrymis decoranda, Pij V. Pontificis Max. exequias, atque obitum uerissimis, & iustissimis tristitia in otis esse honestum. Cum autem omnes vultu, omnes lacrymis, omnes omnibus modis testimonium summæ mortitiae ferant; & adiut religiosissimus Antistes, adiut clarissimi præsides, adiut nobilissimi Patauini, adiut studiofissimi iuuenes, squalleant omnes, incereant omnes; atq; hic ipse tristissimus huius templi habitus omnium squalorem, & mortorem comitetur: consolari tamen se omnes possunt hac unica spe, quod Spiritus Sanctus propediem Pontificem præstantissimum in demortui locum sit concessurus. Ego uero in communi omnium dolore, quam consolationem capiam, nescio; cum ad alias dolendi causas illa etiam accedat, quod propter incredibilem perillustris Episcopi, & clarissimorum præsidum diligentiam vix tempus habuerim ad me ipsum comparandum, & meditandas plurimas, maximaq; laudes Pij V. quem ut statim in funere laudarem, mihi illi mandarunt. Me tamen recreat, & reficit, nobilissimi Auditores, huius ciuitatis humanitas, & benignitas singularis. Quare non desinam aliquid dicere, & eò libenter dicam, quod uos omnes attentiores uidero; ac breuissime ostendam, cum omnes nostra potissimum causa doleamus, summi Pontificis causa latitudinem esse, qui ex his corporis compagibus quasi è carcere ad summam felicitatem euolauit. Hac autem in re illorum philosophorum rationem non sequar, qui de animi immortalitate dubitantes dixerunt, siue animus sit mortalit, nos per mortem huius uitæ malis liberari; siue immortalis, nos ad summum bonum per eandem mortem omnino perduci: sed cum sanctissimis, ijsdemq; sapientissimis viris argumentabor, hominum mortalium animos immortales his terrenis uinculis liberatos, si recte diem suum obierint, in maxima tranquilitate uitam degere; si turpiter, pœnas erratis debitam luere.

Satis

40

Satis enim comprobatum est, tantam celeritatem animorum nostrorum, tantam memoriam præteriorum, tantam futurorum prudentiam, tot artes, tot scientias, tot inuenta, in natura mortali contineri non posse; & simplicem animi naturam, quæ nihil admixtum in se habeat, nihil dispar sui, atque dissimile, cum diuidi non posse, ne interire quidem posse; atque alia eiusmodi, quæ uos grauissimi philosophi subtilissime disputatis, quæq; animorum nostrorum diuinitatem apertissime declarant, etiam apud illos, qui ueram religionem non habent, ne dum apud nos, qui clarissimis diuinæ scripturæ testimonijs certissimam animorum immortalitatem habemus. Quamobrem si quis est, qui cum Pio V. male actum esse existimet, quod ex hac uita decesserit, ostendit se non intelligere, eum virtutum suarum gradibus in cœlum ascendisse. Cuius egregias laudes mihi hoc in loco celebrare cupienti, magis, quid non dici ex ijs, quæ innumerabilia suppeditunt, quam quid dici oporteat, considerandum est. Nam si omnia complecti oratione velim, quomodo exitum inueniam, non video. Quid autem in primis commemorabo? Nihil certe aliud, nisi eum vere generosum fuisse, quod ortus in Luco, loco nobili Liguriæ cis Apenninum, & celebri quondam Marchionatu, atque honesta Guisleriorum familia; magis virtute, quam patriæ, & gentis nobilitate nixus est, maioremq; sibi ex se ipso, quam aliunde gloriam comparauit. Præclare. Ut enim taceam nobilissimum som non idcirco ignobilorem esse, quod à se ipso splendescat, nec esse ignobilorem fonte, quod à se ipso profluat: mea quidem sententia vere generosus est is, qui optimus est. Etenim qua de causa Harmodius, & Aristogiton nobilitati fuerunt? an quia celeberrimam patriam, & nobiles, ac rerum gestarum gloria claros parentes habuerint? Minime uero: sed quia generose se gesserint, atq; imperfecto tyranno patriæ suæ libertatem restituere conati sint. Quid? quod nobiles illi habentur, qui claros propinquos habent, & Pius V. præter consanguineos suos, in quibus splendet Michael Cardinalis Alexandrinus, habuit alios clarissimos propinquos? Age enim, qui nam clarorum uirorum propinquiores sunt, ij, qui sanguine coniuncti sunt, an ij, qui præclaris rebus gestis inter se quam simillimi sunt? certe coiunctiores uidentur fortes cum fortibus, iusti

cum

47
cum iustis, liberales cum liberalibus, omnino virtute praediti cum virtute praeditis, quam parentes clari cum liberis obscuris. Quos igitur habuit secum virtute coniuncti Pius V. ? habuit Curios, habuit Fabricios, habuit Curuncanios; habuit Metellos, fabios, Marcellos; habuit Scipiones, Paullos, Lepidos, pœclaras, atq; ad omnis posteritatis famam illustria abstinentia, modestia, iustitia, fortitudinis, omnis virtutis exempla. Immo uero habuit alios longe illis præstantiores. Fuerunt enim illi à uera religione alieni : at huius propinquui uera religioni dediti. Fuit enim eius propinquus in optimis moribus Petrus, fuit Ioannes, fuit Iacobus, fuerunt alij innumerabiles, quos castissima uita semper est imitatus. O genus præcaru, non natura, sed virtute comparatum. Iam uero uideamus, Auditores, quomodo non forte, sed electione sanctissimam uitam sit secutus. Duplex enim est bonum illud, quod omnes homines dirigunt actiones suas. Vnum sapientibus omnibus cognitum, ad cuius desiderium rerum omnium mater nos trahit natura. Alterum tantummodo sanctissimi viris perspectum, ad quod expetendum diuinus afflatus nos concitat. Primum ab hominibus comprehendendi potest. Alterum adeo superat mortalitatem nostram, ut non modo sub sensum cadere, sed nec plane sine celesti auxilio sub intelligentiam possit. Illud est bonum ciuale, quod possum est in rerum bene gestarum conscientia. Hoc bonum diuinum, quod nihil est aliud, nisi præpotentem Deum intelligere, amare, possidere, ac perpetua cogitatione complecti. In cuius boni contemplatione cum multorum hominum cœtus uitæ cœlestis desiderio quasi in unum corpus coaluerint, ac Diui Dominici sodalitates omnes maxime semper fulserint: apud nobilissimum ordinem illorum, qui Diui Dominici obseruantes dicuntur, ab ineunte ætate initatus est. Recte. Sic enim Samuelem, sic Hieremiam à pueris cœratos esse, sacris litteris est consignatum. Itaque nihil antiquitus habuit, quam ut religioni se totum dicaret, id est, illi præstantissimæ virtuti, cui non homines tantum imperiti plurimum tribuerunt, uerum etiam sapientiores omnes sine ulla dubitatione primas partes detulerunt. Siquidem diuinus Plato censuit ante omnia Deum Opt. Max. huius mundanæ fabricæ architectum, omnium bonorum præbitorem esse agnoscendum:

dum : huic agnito id, quod Dei est, retribuendum: id autem, quod Deo retributum est, assidua rerum meditatione, iustisque actionibus cum Deo ipso inenodabili vinculo reglandum; idq; fieri per illas tres virtutes, sanctitatem, pietatem, religionem, quæ per triplicem funiculum difficulter solubile significatae sunt. Maximus vero omnium magister, & Philosophorum summus Aristoteles, cum enumeraret ea, sine quibus consistere ciuitas non potest, diuino cultui primum locum dedit, & propter diuini cultus dignitatem, neq; agricultoram, neque opificem, neque artibus operosis, & minus ingenuis dedicatum quenquam ad sacerdotium efferendum esse prescripsit. Factus igitur religiosus, & diuino nomine afflatus, ac diuinæ charitatis amore incœsus ita, vt omnes exercitationes suas, tum externas, tum internas, omnia consilia, omnes actiones, omnes prorsus vires dirigeret ad Deum ipsum perpetuo honore contemplandum, venerandum, colendum; illorum semper instituit sanctissimis vestigiis, qui fide, spe, charitate, pietate, iustitia, benignitate, omni virtute præditos se ostenderunt; qui illa habuerunt rerum peragendarum instituta, quibus facile bearri possent; qui non verba sola, sed simul facta professi sunt, nec in nimia solitudine se abdiderunt ad lolarium suum, atq; voluptatem, sed, cum oportuit, in hominum luce sudarunt, alserant, esuriuerunt pro communi utilitate, & se omnibus in omni negotio benignissimos reddiderunt, vt fecisse Petros, Paullos, Augustinos, Hieronymos, Benedictos, Frâscos, Dominicanos, ceteros omnes compertum est, qui benignissimum seruatorem nostrum mirabiliter imitati sunt. Cum autem animum appulisset ad communem hominum fructum; & cognouisset, quantum conferret ad humanarum rerum gubernationem bonarum artium cognitione: non dubitauit in omni litterarum genere, & ratione versari; exemplo Mosis, & Salomonis, quibus nihil sapientius vñquam extitisse, memorie proditum est. Quidquid vero discebat, audiebat, legebat, id vniuersum ad sapientiam illam dirigebat, quæ à Deo est, & potissimum semper in Theologia, ac iure Pontificio elaborauit, vt non solum veram religionem cognosceret, sed etiam cognitione sua christianis oib. opitularetur. Discite ergo, religiosi viri, ex illustri facto Pontificis Max. in illas artes præ-

pue incūmbere, quæ ad vos pertinent; & Theologiam, ac ius Pontificium non omittere pro inanibus quæstionibus de materia prima, de quantitate syderum, de primo, & vltimo instanti, de maximo, & minimo, de aliis rebus parum vtilibus, & necessariis ei bonitati, quam profitemini; immo vero sape inutilib^o & pernicioſis, dum vſtrum nonnulli (bonos enim nō damno) nihil aliud curant, niſi quomodo poſſit. Sophistice diſputare. Non igitur, vt in circulis, & congregacionibus sophistarum ſe iactaret (quibus ipſis rebus malebat quodammodo ineptus, quam aptus videri) liberalibus artibus operam, ſtudiumq; nauauit: ſed, cum ex illis ipſis ea, quæ ad hominem christianum, & religiosum pertinent, excerpſiſſet, Theologia, ac iuri Pontificio potiſſimum ſtuduit, vt Christianæ religioni prodeſſe poſſet. Quia in retantum profecit, vt ob id maximos ſi honores conſecutus. Taceo, quomodo inferiores dignitatum gradus ascenderit, quomodo Episcopus Nepesinus, quomodo Cardinalis ſit factus à Paullo IIII. Pontifice Max. tanto bonorum applauſu, tantaq; lætitia; quantum in animis hominum reſte ſentientium magna dignitates magna virtuti tributæ potuerunt excitare. Tantum dico, in Theologia, ac iure Pontificio eum ſemper ita excelluiſſe, vt propterea ſanctissimo Inquisitionis officio fere ſemper præfuerit, & Lutheranæ hæresi immanitatem mirabiliter repreſerit. Quo in munere obeundo ſe ſemper præbuit ab odio, amicitia, ira, misericordia vacuum, quales eſſe oportere omnes iudices à veteribus traditum eſt. Non alicuius potentia, vel gratia mouebatur, quominus Dei cultum cuſtodiſret. Non minis, non precib. non iniuriis, non muneribus adducebatur ad aliquid contra Dei honorem permittendum. Et tam ſapienter, tam incorrupte ſe gefſit, vt rerum diuinarum perfecta cognitione, ac diligenti executione aditum ſibi patefecerit ad Pontificatum. Testes ſunt Bergomates, testes Nouocomenses, testes Romani, testes alii quamplurimi; qui eum hæreticæ prauitatis Quæſitorem ſapienter, prudentem, diligentem, uigilantem, incorruptum, indefeſſum experti ſunt. Ad ſapientiam enim, & prudētiā ſuam non ſolum adiunxit diligentiam, & uigilantiam admirabilem in publicis muneribus obeundis, verum etiam integratam, & innocentiam singularem, longe ab ijs diuersus,

uerſus, qui intelligunt quidem plus, quam ceteri, & futura proſpiciunt, atq; ad negotia expedienda, & conſilia ex tempore capienda idonei ſunt: ſed, quoniam non viuunt ſine alicuius fraudis, ac iniuriæ ſuſpicione, idcirco ipſis ſalus hominū, & fortuq; minus reſte committi existimantur. Neque enim putandum eſt quenquam quantumuis doctum, & prudentē habere ſatis auctoritatis ad Rempub. adminiſtrandam, qui in administrationibus ſuis nihil reſpiciat magis, quam quomodo expleat infatiabilem ſuam accumulandarum opum audi- tatem: ex qua magistratum improbitate omnis rerum priuatū, & publicarum perturbatio, omnis labes, & pernicies populum proficiſcit. Quid? quod in primis delectatus eſt fama, & opinione liberalitatis, beneficentia, humanitatis, benignitatis, omniumq; earum uirtutum, quæ pertinent ad mansuetudinem morum, & facilitatem? Quod plurimum vallet in eo, qui alijs præfit. Dici enim non poſteſt, vt ſcribebat Philippus ad Alexandrum, Antipater ad Cæſandrum, Antigonus ad Philippum, quantopere conciliet animos hominū: comitas, affabilitasq; sermonis, quantumq; requiratur in illis, qui alios gubernent, ut oratione benigna multitudinis animos ad benevolentiam allificant, ac diſtioni ſuæ ſubiectos blande appellando ſermone deliniant, neque id fiſte, ſed uere, candide, ſincere efficiant, ac ueritatem benigni sermonis ſuī, candorem animorum ſuorum, ſincerum amorem ſuum, omnibus, quibuscumque poſſint, beneficiendo, beneficamq; uoluntatem ostendendo declarant. Quod hic mirabiliter præſtabat, & ſe omnibus partibus, ac numeris, abſolutum oſteſdebat, ac prorsus aptum, natumq; ad imperandū indicabat, ut vnuſ eſſe poſſet cuiuſlibet rectiſſimæ administrationis norma, regula, & præſcriptio, ac in eum unum intuentes ipſam reſte administrandi ideam intueri uiderentur. Atque, cum aliæ dignitates eās virtutes poſtulent, quæ in hoc incredibiliter elucebant: Pontificatus tamē, quod cæteris dignitatibus præſtat, eō talibus uirtutibus eſſe ornatiō debet, ut Pontifex nō ſolum ſit religiosus, & uere religiosus, ſed etiam ſapiens, cum T. Manlius Torquatus ſe indignum iudicauerit, qui conſultum administraret, propter ualetudinem oculorum, & multo indigniores ſint Pontificatu, qui carent lumine doctrinarum.

Præterea uero uitæ integer, purusq; sceleris, & benignissimus, atque humanissimus, omnique uirtute perornatus, uno uerbo M A X I M V S . Hac igitur tanta celebritate famæ cum in maximo rerum motu nauiculæ Petri gubernator imponendus esset, qui eam reftissime gubernaret, hic ipse quām dignissimus uisus est, cui tanta gubernatio deferretur. Cum autem uniuersæ Christianæ Reip. unius spiritus sancti afflato præpositus esset, tanquam is, qui singulis semper æstatibus probatus fuisset, & immaculatum se præstisset, ac constanter id agere studiisset, quod utile esse Reip. arbitraretur, qualis omnino princeps nisi eligatur, Plato censuit Remp. peritaram: tot, & tanta gesit in ipsius Pontificatus administratione, ut diem dicendo consumpturus sim, si commemorare omnia uelim. Inter cetera autem eius grauissima, atque immortalia erga Remp. Christianam beneficia illud non minimum fuit, quod Galliam ex multis hæreticorum uulnibus laborantem maximopere adiuiuit. O' Gallia, antiquum eloquentiæ domiciliū, quæ Mercurium eloquentiæ præsidem præcipua coluisse obseruantia perhiberis, quæ Herculem uenerata es habentem in ore catenam quandam auream, eaque ipsa astantium aures, quod liberet, trahentem, significans eum ipsum eloquentiam esse; tua ipsius antiqua eloquentia opus esset, ut plane exprimeretur, quæ, & quanta beneficia in te contulerit Pius V. Tibi enim militibus, tibi pecunia, tibi quibuscumq; rebus potuit, opitulatus est; dum tetra, horribilis, importuna eorum pestis, qui nec hominum uitæ, nec Dei templis parcunt, te ipsam turbabat; dum sœui hæreticorum turbines tequassabant, dum te nebra hominum præue de rebus diuinis sentientiū in te quotidie magis conduplicabant, & eorum nigror mentes impetrorum, ac rudium in dies magis occæbat. Diu mirabile, atq; adeo misérabile, quod ubi diuinus cultus sanctissime custodiebatur, ubi christiana pietas maxime colebatur, ubi homines erant christianissimi cum Rege Christianissimo, inde christianum nomen prope depulsum fuerit; & Gallia, quod firmissimum habebatur contra hæreticos omnes christianæ nominis præsidium, ab hæreticis tam misere diuexata sit; & quæ prouincia Christianum se maxime colere profitebatur, tot Christianæ fidei oppugnatores uiderit. Plurimum igitur debet

Gallia

Gallia Pio V. quem in retinenda vera, & Catholica religione paratissimum habuit adiutorem. Atque, cum in optimo Pontifice duo maxime requirantur, vt verbo doceat, vt exemplo inflammet; dici non potest, quanta cum sua laude, quanta cum omnium admiratione beatissimus senex utrumque præstiterit, & sapientiam cum probitate, eloquentiam cum integritate coniunxerit. Quod si celebratur sapientia, & eloquentia Alexandri III. qui Fridericum primum compescuit; & Innocentii III. qui Fridericum secundum coercuit; & Urbani II. qui terram sanctam cum incredibili gloria recuperauit: maximis etiam laudibus ornabitur sapientissimus, & eloquentissimus Pius V. qui præterquam quod Melitensis ad incenia reficienda, & Pannoniis ad se defendendos contra Turcarum immanitatem opem tulit, prudentia, & cohortatione sua Philippum Regem Catholicum, & Illustrissimos Venetos ad ineundam secum contra Turcas sanctissimam societatem adduxit; cuius augendæ cauſa superiore anno præstantissimum Michaelem Cardinalem Alexandrinum consanguineum suum in Hispaniam, in Lusitaniam, in Galliam, & præclarissimum Cardinalem Commendenum in Pannoniam ad Romanorum Imperatorem; & in Polonię Legatos misit; qua statim animi hostium sunt consternati, & nobilissima illa victoria relata est, quam superioribus mensibus nostra oratione celebravimus. Tibi igitur, venerande senex, qui in coelum ascendiisti, tantam victoriā acceptam referimus. per te hostes sunt victi, fugati, trucidati. per te tot hostium millia cæsa; tot Christianorum captiuorum millia liberata; tot triremes, tot biremes, tot nauigia occupata. O' maximum, & singulare beneficium non solum in illustrissimos Venetos, quorum præcipua res agebatur, verum etiam in vniuersum christianū genus collatum. Quantum autem profuerit Cardinalibus, & Episcopis, cum eis familiariter colloquendo, eos ad meliores mores cohortando, & omnes docendo, quid vitos deceat religiosos, satis apparere potest iis, qui considerauerint, quales ante eū, & quales cum eo religiosi fuerint. Nec silentio prætereundum est, eum quādiligentissime curasse, vt Tridentinæ Syndici sanctissima decreta obseruarentur, & religiosorum mores ad verum Dei cultum omnino conformarentur, ac vetus eccl-

ecclesiastica disciplina reuocaretur. Quid dicam de sanctissimi
mis eius moribus, de abstinentia, de modestia, de constantia,
de charitate, de liberalitate, de sui commodi despicientia, de
iniuriarum obliuione, de aliis virtutibus, quae quidem eum
omnino amabilem, atque admirabilem reddiderunt? in pri-
mis autem adamauit lenitatem, qua nihil in pontifica cerauice
splendidus fulgere sanctissimi patres memorie tradiderunt.
Commemorare soles, per illustris Episcope, & facile com-
memorare potes, cum ei ipsi honorifice seruueris, eum eadem
humanitate, benignitate, affabilitate in pontificatu ad se a-
deantes suscepisse, qua & Cardinalis, & Episcopus consue-
uerat, vt idem semper fuisse seruato decoro videretur, nec im-
mitati in eo mores, sed aucta tantum dignitas cognoscere-
tur. Quam vero gratus fuerit erga benemeritos de christia-
na religione, & quam obseruans virtutum, vt non propin-
quos, non potentes, sed virtute præditos ad magnas dignita-
tes efferret; vt Cardinales, & Eptscopos alios ab eo electos o-
mittamus, satis intelligere possumus, nobilissimi Auditores,
ex hoc ipso Episcopo ab eodem Patauinæ diceceſi præposito,
de cuius summis laudibus plura dicerem, si id modestissima
eius præsentia pateretur. Cum igitur beatissimus senex assi-
diis precibus à Deo contenderet, vt de medio sublata Tur-
carum immanitate, & hæreticorum prauitate christianū no-
men omnino stabiliretur; & perpetuis vigiliis, ac laboribus in
illud ynum incumberet, ut christiana religio altissimis radici-
bus per vniuersum terrarum orbē defigeretur; semper Deū
orans, atque obsecrans, semper preces, & lacrymas ad Deum
fundens, semper vigilans, semper laborans, semper aliquid ad
Deum meditans, inuisis septem præcipuis urbistemplis, cui
muneri ne semimortuus quidem deesse voluit, totus in Deū
conuersus, Dei iussu à cœlestibus mentibus in cœlum raptus
est, ut quam felicitatem merebatur, tandem aliquando ea ipsa
frueretur. O sanctissimum Pontificem, atque omnium vo-
cibus, ac litteris celebrandum. Ergo veteres Romulum, Cæ-
sarem, alios inter Deos relatos falſo crediderunt: nos Pium
V. Pontificem Max. inter sanctos vere nō connumerabimus?
illi Herculem, Iouem, Cererem, Bacchum, propter maxima
in humanum genus merita Deos appellarunt: nos optime
meritum

meritum de christiana religione Pontificem, sanctum non exi-
stimabimus? Quamobrem non eius, sed nostra potius cauſa
dolendum est. Immo uero omnis dolor deponendus, cum
prælertim eius in cœlo ad Deum pro christiana Rep. preces
defuturæ non sint; & in diuina voluntate acquiescendum; iu-
cunda autem maximarum Pii V. uirtutum recordatione, &
grata innumerabilium beneficiorum commemoratione præ-
clarissimum eius nomen prædicandum; ac Deus opt. Max.
exorandus, ut nobis eius similem Pontificem det, qui iactis
ab eo perpetuæ salutis nostræ fundamentis reliquum opus
perficiat, christianam fidem stabilitat, immanium ho-
stium uires deleat, & omnes christianas ciuitates,
ac populos confoletur, & felices reddat.
Quod futurum esse, mihi persuadeo,
diuina prouidentia cōfusus, que
uerum Dei cultum sine du-
bio beatum, floren-
temque conserua-
bit.

Habita in Gymnasio Patauino Anno
M. D. LXXII.



I N



I N
PRIMORDII S
ACADEMIAE
ANIMO SORVM.

* Antonij Riccoboni Oratio. *



Ermultæ erant caussæ , Viri conscripti ,
quamobrem me incommoda ualestudi
ne laborantem omnino tristem , ac pro
pe miserum ducerem : sed illa in pri
mis , quod per me huius præstantissimi
cœtus , qui incredibili quodam ardore
sapientia flagrat , dilata esse primor
dia cogitabam ; ut quod magis me vobis
debere confitebar , quod non solum me in præclarissimum
hunc vestrum numerum recepissetis , uerum etiam dignum
censuissetis , cui vestrarum admirabilium in omni litterarum
genere exercitationum initia mandarentur (quibus rebus ni
hil mihi præclarius , nihil ad laudem illustrius poterat eueni
re) eò me afflictiorem , atq; infeliciorem existimarem , qui vo
bis obsequi , vobis satisfacere , vestram explere voluntatem nō
possem . Verum enim uero quod vehementius dolui , atque
excruciatus sum , eò maiores Deo immortali gratias ago , qui
me summo periculo liberarit , & vestris commodis , quibus
mea studia , & lucubrationes , meam diligentiam , atque indu
striam ,

45

striam , quantum scilicet grauisimum mihus mihi ab Illu
strissimo Senatu Veneto delatum concedet , pollicetur , ac de
fero , incoludem conseruarit . Utinam autem , quanta tempo
ris dilatio facta est propter ægrotationem meam , tantundem
mihi accessisset virium , quo vos non dicam ad præclara litte
rarum studia inflammare , sed insigniter inflammatos exorna
re pro dignitate possem . At vero , quoniam vocem auditis
minus grandem , ac plenam , quam hic locus desideret , & quasi
extra modum absconam , atque absurdam , latera autem experi
mini infirmiora , & ad vocis contentiones , ac remissiones mi
nus apta , spiritum angustiorem , linguam hæsitantem , ac totū
corporis motum languentem , atque defessum ; dabitis mihi
hanc veniam accommodatam imbecillitati meæ , ut placidius ,
summissius , lenius , minus actuose , minus ample , minus fortas
se grauiter , quam oporteat , ostendam , nihil à vobis potuisse
deligi melius , nihil præstantius , nihil magnificentius , nihil
quod magis non solum ad uestram utilitatem , & cōmoditatē ,
sed etiam ad decus , & ornamentum , atque adeo ad uestram
beatitudinem , & felicitatem pertineret , quam , ut in hac ho
nestissima frequentia , & in hoc florentissimo confessu mira
biles studiorum uestrorum fructus ederetis . Nam profecto ,
si recte consideremus , nihil est , quod magis omnibus homi
nibus curandum esse uideatur , quam , quomodo in hac vita
si non perfectam felicitatem propter turbidos fortunæ mo
tus , at fatem aliquam felicitatis partem consequantur . Inanis
autem esset omnis cura beatitudinis , si , quod esset summum
bonum , ignoraretur . Quo factum est , ut multi in eo cognoscendo
summopere elaborauerint . Hic uidete , præstantissimi
Aud . miseram hominum conditionem ; quibus rerum ueritas
abdicta , atque in profundo demersa est , ut uix longe eam pro
spiciant , nedum assequantur ; ac eò miseriorem existimate in
fine ipso , quam in ceteris rebus intelligendis , quod grauior in
illo , quam in his iactura percipitur . Homines enim in cogni
tione finis errantes , dum student felices esse , in maximam infe
licitatem incurunt : at uero aliarum rerum ignoratione non
tam infelices redduntur . Ortæ igitur sunt uariæ ueterum de
summo bono opiniones , alia magis , alia minus sequendæ , per
inde ut uel proprius ad ueritatem accedere , uel longius à ue
ritate

ritatē recedere uidentur. Alii enim ultimum bonorum esse dixerunt uoluptatem: aliū honorem: aliū uirtutē: aliū diuitias: aliū doloris uacuetatem: aliū frui primis à natura datis: aliū pro speritatem uitæ cum actione uirtutis: aliū censuerunt non haberi in hac uita mortali felicitatem, sed tantum post mortem propter unam animarum immortalitatem: aliū alia præceperunt; & tam uariæ fuerunt ueterum de summo bono opinio-nes, ut ex dogmatu[m] uarietate constitui potuisse ducentas, octoginta, & octo sectas, M. Terentius Varro tradiderit. Sectæ enim proprie dicebantur, quæ eo distabant à cæteris, quod diuersos haberent fines bonorum, & malorum, quandoquidē nulla hominibus esse cauſa philosophandi uidetur, nisi ut beati sint. Ut autem statuamus, quæ opinio nobis sequenda sit, quid est, quod uoluptates tamquam ultimum finem propositas habeamus, tantopere Aristippo, & Cyrenaicis omnibus, tantopere Epicuro, & eius seſtatoribus probatas, communes homini cum belluis, & partim puerilium oblectamento-rum similes, partim cum magno dedecore, & turpitudine cō-iunctas? An est quidquam homini turpius, aut homine in-dignius, quam mancipiorum more uoluptatibus infervire, pe-cudum consuetudinem imitari, ac uitam sequi Sardanapali, omnium non solum bipedum, sed etiam quadrupedum teter-rimi? Nonnè prorsus irridenda, ac contemnenda fuit tabella il-la Cleanthis, in qua ipse iubebat, ut homines cogitarent, pictam esse omnium rerum dominam voluptatem, cuius pul-cherrimus vestitus splendesceret, & ornatus regalis, quæ in fo-lio federet, tamquam regina virtutum, cui præsto essent virtu-tes, ut ancillulæ obsequentes, nihil aliud agentes, nullum suum officium ducentes, nisi vt voluptati seruirent? ò summam stul-titiam. Præterea vero nihil est, cur imperia, & hoñores, tamquam extremum bonorum conſectemur, vt Cæſar, & Augu-stus, & alij quamplurimi fecerunt; quæ res inanes, & fluxæ pen-deat fere ab inconsiderato impetu, & temeritate leuis, atque imperiæ multitudinis, facileq; auferri possunt, nec dignæ vlo-modo sunt, in quibus vltimus finis collocetur, quippe quasho-mines expetunt non propter ipsas, sed vt virtutibus exculti-vi-deantur. Quamobrem cum imperare, atq; honorari cupiamus propter virtutem, qua præstare ceteris pulcherrimum duci-mus; &

mus; & omne imperium, omnemq; honorem ad virtutem re-feramus; profecto in virtute magis beatitudo hominis, quam in imperijs, & honoribus videtur constituenda. Quid? quod ne in illa quidem, quamvis præstantissima, atq; excellentissima, posita esse existimatur? Virtus enim non est beatitudo, non modo eas ob cauſas, quas grauiſſimus auctor attulit Ariſtoles, quia illa vigilantibus, & dormientibus, aſtuosis, & o-ciosis, fortunatis, & infortunatis communis sit, hæc tantum vi-gilantibus, tantum actuosis, tantum fortunatis conueniat: ve-rum etiam quia illa potius animum perpurget, & idoneū red-dat ad summum bonum adipiscendum, hæc tale bonum con-tineat; illa potius esse dispositio ad finem, hæc finis ipſe cense-a-tur. Itaq; nec recte prorsus iudicauit Zeno cum Stoicis suis, qui uirtutem summum bonum statuit, & ſolum expetendum, cetera uero bona feligenda, non ſimul expetenda; etiam ſi egre-gie censuerit uirtute præstantem virum, & ſapientem ſolum appellandum eſſe Regem, qui ſe, & alios optime ſciat regere; ſolum magistrum, qui non vitij, ſed uirtutis magiſter ſit; ſolu-diuitem, qui paruo contentus nulla re egeat; ſolum dominum rerum omnium, qui recte ſciat uti rebus omnibus; ſolum pul-chrum propter animi linea-menta longe pulchriora corporis linea-mentis; ſolum liberum, qui nec dominationi cuiusquam pareat, nec obediat cupiditati; ſolum inuictum, cuius etiamſi corpus tyranni poſſint conſtringere, animo tamen nulla vine-lla inijcere, nullam adhibere uim queunt. Nec probanda eſt Pyrrhonis, & Aristonis ſententia, qui dixerunt uirtutem non modo ſummum, ſed etiam ſolum bonum eſſe, cetera vero ita æqualia, ut inter optime valere, & grauiſſime ægrotare nihil prorsus intereffet. contra quos merito iampridem deſitum eſt diſputari, quod illi uirtutem ipsam, quam tantopere amplexa-bantur, rerum ſelectione expoliarint, & dum exornare uellēt, prorsus ſuſtulerint. Nec ſequenda Herilli opinio, qui omnia reuocauit ad illam intelligendi uirtutem, quæ ſcientia nomi-natur; quam non ſolum negarunt beatitudinem hominis eſſe, verum etiam ullam eſſe Socrates, & velut amantes Socratis, Anaxagoras, Democritus, Empedocles, omnes pene ueteres, quos rerum obſcuritas ad confessionem ignorationis adduxit, quoramq; ſeſtator Arceſillas putauit, ne illud quidem ſciri poſ-

M 2 ſe,

se, quod sibi unum Socratēs reliquisset. Quid porro de diui-
tijis dicemus, à Mida Rge Phrygum, à Cœlo Rege Lydorū,
à Crasso ciue Rom. & ab alijs plurimis tantopere expertis? An uero in consilijs, & actionibus nostris opes, & copias spe-
ctabimus, quas sæpe possessoribus suis exitio esse, & tam mul-
titas casibus eripi posse conspicimus? An negabimus in rebus
præstantioribus, ut honore, & virtute, summum bonum situm
esse, in rebus autem minus præstantibus, ut diuitijs, illud con-
stituemus? Neque uero cum Hieronymo Rhodio putandum
est beatitudinem esse doloris vacuitatem: quod ipsa beatitudo
cum officio, cum laude, cum decore coniuncta sit: qui uero in-
dolentiam sequitur, omne officium, omnem laudem, omne
decus fugiat, quod comparari sine dolore non queat, omnem
autem turpitudinem, & ignominiam perferat, ut vacet dolore.
Neq; cum Carneade censendum, illos beatos esse, qui primis
à natura datis perfrauantur: quia beatitudo à fortuna non pen-
det: vt autem fruamur ingenij motu, sensibus, membris, inte-
gritate corporis, valetudine, & alijs huiusmodi, quæ ille per
prima à natura data intelligebat, id uidetur à fortuna pende-
re. Cum autem Aristoteles definierit felicitatem actionem
animi ratione utens ex uirtute perfectissima in uita perfecta,
non defuerunt, qui argumentati sint, id, quod accidit, cuius-
modi est actio, eius, quod per se subsistit, qualis est homo, ul-
timam perfectionem esse non posse: & omnem actionem esse
potius viam quandam, quæ ad finem ducit, quam ipsum fi-
nem: ac uirtutis actiones laboriosas esse, in labore autem fi-
nem illum, quem querimus, non inueniri, sed in quiete, atq;
tranquillitate, cum idcirco negociemur, ut cum dignitate ocie-
murus, & bellum geramus, ut in pace uiuamus. Qui uero tan-
tummodo post hanc mortalem uitam beatitudinem homini
propter unam animorum immortalitatem tribuerunt, sapien-
ter quidem, & pie se geserunt, dum illud ipsum comproba-
runt, sine quo nulla esse religio, nullus dei cultus potest: sed,
si non obseruarunt huius uitæ maculis alteram uitam infici,
atq; labefactari, ut nihil interesse post mortem inter animum
Aristidis, & Phalaridis, Catonis, & Catilinæ censuerint; merito
à Lactantio Firmiano reprehensi sunt. Si uero, quod de beati-
tudine post obitum perfrauenda affirmarunt, non simpliciter
de

47

de omnibus animis, sed de bonis tantummodo intellexerunt;
ut sensisse Socrates apud Platonem uidetur, & Cicero sæpe ex
Platonis doctrina disputauit, mea quidem sententia non sunt
reprehendendi. In tanta autem doctissimorum hominum dis-
sensione, tantoq; dissidio, cum uel ipse Aristoteles, qui aliquā
in hac uita beatitudinem conformauit, eam nō esse perfectam
quodammodo significauerit, dum scripsit, beatos esse illos,
quibus insunt bona animi, corporis, & externa, beatos autem,
ut homines, quasi diceret imperfecte beatos, eaq; tantum bea-
titudine præditos, quæ hominibus possit congruere, id est, im-
perfecta; illud profecto statuendum est, quod non solum Pla-
tonici, uerum etiam Theologi omnes affirmarunt, in hac uita
hōibus uel nullam beatitudinē dati, uel exiguā, & paucis: hācq;
uitā esse ueluti uiam quandā ad alteram, ut qui in hac recte se
gesserint, in altera se beatos fore, sperare merito queant: & ho-
mines, siq; partē felicitatis, dū hac luce fruūtur, habere posūt,
eo feliciores habendos esse, quod propiores diuinæ conditio-
ni facti sint; similes autem existimari Deo sapientissimo, & op-
timō, ac maximo, quoad humana natura patitur, duabus potis
simum rebus, contemplatione, & actione; cum, quemadmodū
Deus uno intuitu omnia uidet, omnia intelligit, omnia cognoscit,
& præterquam quod omnia perspicit, etiam omnia guber-
nat, & huius mundanæ uniuersitatis, quam suis ipse præpoten-
tibus manibus est fabricatus, saluti consulit, eiusq; assidua pro-
curatione tenetur: ita homines, quantum possunt, in his infir-
mis corporum compagibus, non solum rerum caussas inuesti-
gent, & quod absolute bonum est, contemplentur, ad illud dirī-
gant omnes actiones suas, ad illud pro uiribus tendant; uerum
etiam cognitis rebus diuinis, recte humanas gubernent, recte
se ipsos, rem familiarem, rem publicam administrent; ut pro-
pter eiusmodi sapientiam, prudentiam, iustitiam, aliquam ha-
bere cum Deo similitudinem uideantur. Quæ caussa fuit, cur
Plato Philosophos esse beatos iudicans, dixerit philosophiam
esse quandam Dei similitudinem. Indubius igitur reb. posita
est hæc ipsa, quæcunque sit, beatitudo, in ueritate perspicien-
da, & uirtute non solum ad nostram, uerum etiam aliorum u-
tilitatem exercenda; quas res qui ita distinxerunt, ac separa-
runt; ut alteram spreuuerint, alteram sint secuti, ueram felicita-
tem

Marcellus edixisset, ut capiti eius parceretur, intentus summus philosophus circulis describendis, ne militi quidem interroganti, quis nam esset, indicare nomen suum potuerit, ac magis solitus de circulis, quam de capite misere obtruncatus fuerit. Dictu quidem mirabile, quod in opulentissimae urbis direptione, in cæde, & sanguine ciuium, in gladiorum fulgore, in armorum sonitu, in cadentium tectorum fragore, cum pueri eiulabant, milites clamabant, omnia euertebantur, defixus esset Archimedes in studiis, & magis curaret ne circuli disturbarentur, quam ut se ipsum seruaret. Similis dæmentia obseruata est in Carneade, qui adeo à uoluptate, à re familiari, à negocio omni animum seuocauerat, adeo à corpore animum abduxerat, ut nihil ageret, ac uelut extra se positus, cibi, potionisq; obliuisceretur: ita ut Melissæ, quæ uxoris loco ei erat, necesse esset, eum tamquam infantem alere, in eius gulam recentium ouordrum uitellos, ut inedia succurreret, infundere, eius labris, atque adeo dentibus ostas inserere, eius faucibus uinum instillare. Taceo Democritum, Diogenem, Anaxagoram, alios, qui sua stultitia apud imperitum uulgas eruditorum nomen sunt consecuti. Ac maxima quidem est ea uoluptas, quæ contemplando sentitur, ut ad eam ceteræ omnes uoluptates nullæ sint, quam eloquentiæ parens Cicero ceteris præstantiorem est testatus est, quod omnibus temporibus, locis, & atibus conueniat, ceteræ non conueniant; quam tanti fecisse Solon dicitur, ut uel in ipsa morte cam percipere conatus sit. Aspidebant, n. ad eius lectum amici, & quadam de re summisse, ne ei molesti essent, disputabant. Tunc sapientiæ amantissimus Solon semimortuum caput erexit, eosque rogauit, ut elatiiori voce loquerentur, quo aliquid discens iucundins moreretur. Est inquam hæc intelligendi voluptas alijs omnibus maior, & superior: sed cum huius nulla, aliarum omnium aliqua satietas, ac tedium sit; modus tamen est adhibendus, ut nec vitam nostram, nec aliorum commoda deferamus. Tametsi enim iucundissimum est philosophari; atq; hæc est ambrosia, hoc nectar animalium nostrorum, nihilq; aliud est, nisi mortem commenari, id est animum, qui ab uno rerum omnium principio permanentem, rationem, opinionem, naturam in corpus lapsus est, rursus à corpore per furorem Musarum, Dionysij, Apollinis, Vene-

tenvanimo non comprehendenterunt. Nam quemadmodum sola contemplatio non sufficit, nisi traducatur, cum opus est, ad rerum administrationem: sic ne actio quidem satis instructa esse potest, nisi pendeat à rerum cognitione. Neque est, cur mihi C. Marius adducatur, qui litterarum, aut nihil, aut parum admodum didicit, cum tamen in gerenda Rep. mirabiliter ex celluerit. Neque commemorandus Cn. Pompeius, qui ab ineunte ætate uerari in armis cum patre suo aduersus Cinnam coepit, & semper in illis se exercuit, ut incumbere in litterarum studia non potuerit; qui tamen, quanti faceret bonas artes, aperuit tunc, cum ex Asia proficisciens ad maximum illum triumphum, quem de piratis, de Mithridate, & Tigrane regibus, de gentibus, ciuitatibusq; plurimis duxit, Rhodi maxima liberalitate in omnes liberalium artium doctores usus est, & Athenis Posidonium, aliosq; philosophos summa obseruantia coluit. Neque aliorum eiusmodi hominum mentio est facienda, qui uno rerum usu admirabiles in Rep. extiterunt. Ut enim aliqui recte se gesserint sine ullis studiis, sine ullis litteris, sine ullis præceptis, rectius sine dubio se gesissent, si actiones suas aliqua studiorum meditatione conformassent, si ex litterarum monumentis percepissent locorum, & regionum naturam, gentium, & nationum mores, si omnino ex veterum libris cognouissent ea, quæ ad recte gubernandam Remp. ualde pertinere existimantur. Ut autem illi mihi non probantur, qui in summarum ignoratione ad Rerum gubernationem accedunt, sic illorum factum mihi placere non potest, qui semper in litteris, semper in bonarum artium studiis abditæ, nihil ad communem commodum conferunt. Quod meo quidem iudicio feredum esset, si sibi tantum nati essent, id est suis tantum solatiis, suæ uoluptati, suæ delectationi: sed quoniam homo ortus est ad hominis utilitatem, idcirco ad eam dirigere omnem suam sapientiam, prudentiam, intelligentiam debet. An uero putabis, te etiam stellas dinumeratur, & mundi magnitudinem metitrum; tibiq; offeretur occasio patriæ subueniendi, atque opitulandi, uel parentes, & amicos seruandi, & non illa omnia relinques, atque abiicies? Neq; enim satis laudare possum Archimedem illum Syracusanum, qui nimia studii attentione ne ipsam quidem Syracusarum direptionem sentiebat; adeo, ut, cum

Veneris, ad vnum aduocare: tamen ea mors ita obeunda est, ut nec in Cleombroti errorem incidamus, nec patriæ, propria quæ, amicis, atq; adeo hominum generi deesse uideamur. Neque uero nego, posse homines eruditos suis doctrinæ, & sapientiæ studiis hominibus prodeesse, etiam si Resp. nō attingant; cum iam non solum principes erudiendo, ut Dionem erudiuit Plato, Alexandrum Aristoteles, alios alii; uerum etiam præclaræ animorum suorum sensa litterarum monumentis consignando, & ueterum libros explicando utilissimi esse possint. Sed illud contendō, non ita studiorum ocium complectendum, ut omne prorsus negocium deseratur. Illud ergo conficitur, & actiones meditationibus conformandas, ut assiduis studiis docti, atque instituti omnia decore agamus; & contemplationes ad communem hominum utilitatem conferendas, ne homines ab hominibus alieni existimemur. Verū queritur, an hæc contemplandi exercitatio habenda sit in solitudine, an cum paucis, an cum multis. Priorem quidem Africanum ferunt solitudinem adamasse, & in ore illud habuisse. Nunquam se minus solū esse, quam cum solus esset: at hæc solitudo præterquam quod est præter naturam, quæ omne solitarium odio habet, ut præclare censuerit Cicerō, si quis affluat omnibus commodis, & summam felicitatem collocet in cognitione, & scientia, eum naturaliter solitudinem spreturum, & socium studii quæsitorum, illud habet incommodi, quod cum fieri posit, ut nonnulla peruerse percipiamus, non tam facile errores cognoscimus, quam si cogitationes nostras cum aliis communicemus. Ac uentur enim ingenia, inuicem, quid sentiant, conferentia; & ex contrariorum contentione melius ueritatem perspiciunt. Itaque solitarios philosophos in bibliothecis suis, tamquam in speluncis degentes, nunquam in lucem, nunquam in aspectum hominum prodeuentes imitari non debemus. An uero multorum consuetudine utendum est? Minime uero: quia sapientia paucis contēta multitudinem refugit, ex qua omnis perturbatio, omnis confusio manat. Pauci igitur studiorum socii eligendi sunt, quibuscum assidue colloqui, disputare, & quæ sentimus, communicare possumus: ita ut partim docendo, partim discendo, partim audiendo, partim dicendo uberrimos doctrinæ fructus percipiamus. Sic varij Philosophi in suas sectas

con-

concesserunt, sic qui Anaximandrum, qui Pythagoram fecuti sunt, sic Elienses, Megarenses, Eretrici, Cyrenaici, qui à ciuitatis sunt appellati. sic Stoici, qui in celebri Athenarum porticu philosophiam professi sunt. sic Academicæ, qui in Academia, ab Academo heroe denominata, se exercuerunt. Sic Peripateticæ, qui in Liceo deambulantes, philosophati sunt. Sic vos, V. C. cum propositam habeatis veram felicitatem, quæ tum contemplando, tum agendo percipitur, assiduis contemplationibus ad egregias omnes actiones animos vestros aptissimos redditis, ac tamquam prudentes summi boni æstimatores nec solitudinem, nec multitudinem adamatis, sed paucorum, eorundemq; ad laudem præstantium societatem requiritis. Exercitationum autem vestrarum domicilium collocatis in ædibus ASCANII MARTINENGI, præclarissimi, ac religiosissimi Abbatis, qui suo splendore cœtum vestrum collustrabit, qui sua auctoritate studia vestra fouebit, cui ut plurimum debeatis, necesse est, quod vos sibi complectendos putauerit, quod vos sibi sua presentia exornandos, sua humanitate reficiendos, sua amplitudine decorandos censuerit. Hoc igitur sit vestrum Liceum, hæc vestra Academia, hæc vestra porticus, hoc vestrum gymnasium, hic uester aditus ad eam, quam modo descripsimus, felicitatem. Tu vero, Abbas optime, ac præstantissime, qui tametsi intelligis, te non solum originem trahere ex nobilissima vrbe Brixia, quæ fuit Colonia Latina à Cn. Pompeo Strabone deducta, & postea cum reliquis colonijs Transpadanis à C. Cæsare dictatore ciuitate donata, sed etiam in honestissima Martinenga familia natum esse, in qua floruerunt quamplurimi partim armis, partim litteris, & religione clarissimi viri; tamen nec patriæ, nec familiae splendore, nec diuitiarum magnitudine elatus in desidia tibi marcescendum putas, sed præclararam consuetudinem retines in tua domo exercendarum artium optimarum, & illustri Comiti CAMILLO fratri tuo, adolescenti studiosissimo, & egregijs animi bonis ornatisimo, vt idem faciat, auctor es; tu inquam maximum exemplar modestiæ, & benignitatis, quo duce hæc Academia gloriatur, cuius grauitate nititur, à cuius mansuetudine pendet: cogitare debes, maximo tibi decori fore, præclara horum Academicorum instituta, admirabiles huius præstantissimi cœtus

N ad

ad omnium litterarum laudem progressus, excellentem in disputandis, & tractandis rerum obscurissimarum quæstionibus ordinem, incredibile ad omne doctrinæ genus studium, atque ardorem. Quod non eò dico, ut tuum in Academiam beneficium aliqua ex parte minuam, sed potius, ut tuum factum celebrem, cuius splendore Academicæ collustrati, quantum dicendo poterunt, tantum ad tuum amplissimum nomen prædicandum videntur libentissime collaturi. Ego autem, cui Academicæ carum exercitationum initium commisisti, quem dignum iudicasti, qui solenne hoc munus obirem, quem honestissimo vestro iudicio, ac testimonio comprobasti, magis tuendi officij mei caussa, quam quod ita necessarium existimem, vos hor tor V. C. vt aggressi læto, & forti animo ad hanc studiorum rationem coniunctissime, & concordissime pergatis, ac constantiam, perseverantiamq; reineatis. cū enim homines, quod bonum est, non consequantur, quatuor fere de causis, uel quia bonum finem non habeant, vel quia errant in vijs ad finem, uel quia vrgere desinant, quod sibi proposuerint, uel quia naturæ imbecillitate laborent: quando nec in primo, nec in altero, nec in quarto genere connumerandi estis (recte .n. statuistis, quid sequi debeatis, & ijs, quibus oportet, vijs insititis, ac maximis ingenij prædicti estis) caendum est, ne tertio generi adscribamini, ut parum constanter in eo, quod instituistis, pertendere videamini. Ego fortasse in illis ero, qui virium imbecillitate, & inopia obtinere ea, quæ uolunt, non queunt. Non desinam tamen, si minus ingenio, & doctrina potero, at saltem diligētia, & assiduitate uobis satisfacer.

Habita Patauij Anno MDLXXIIij.

D E



D E I N S I G N I ACADEMICORVM ANIMOSORVM.

* Antonij Riccoboni Oratio. *



IVINITVS, opinor, factum est, Viri conscripti, ut quæ uestra Academia Mese Martio Marti dicato instituta est, quo primo anni mense aris Vestæ nouus accendebar ignis, perinde ac flagrans studium, & incredibilis discendi ardor in uobis recens apparuit, ac in regia, curijsq; atq; flaminū domibus laureæ veteres nouis laureis mutabātur, nō fecus ac rectē facto vestro apollissima immortalitas præmia uobis proposita sunt; & quidē instituta in ædib⁹ religiosissimi, ac præstantissimi Abbatis, A S C A N II MARTINENGI, quem merito Martinengum, id est, à uiris fortissimis, & præstantissimis, ac Marti maxime deditis originem trahentem appellamus: eiusdem singulare est letis insigne Aries uel Ieris aurei, qui in terris à Phryxo Marti est immolatus, qui in celo mensis Martii signum est, ac Martis domicilium, qui ad significanda huius clarissimi coetus primordia est maxime accommodatus. Nam, cum Aries primum anni mensem, & principium conuersionis annuæ, quam conficit Sol in orbe signifer.

N 2 deno-

bus illis, quæ in ore omnium uersantur, pertractandis. Quis enim fando non audiuit Athamantem Aeoli filium, Thebanorum regem, Nephelen uxorem duxisse, & ex ea Phryxum, ac Hellen genuisse? post Nephelen autem dimissam Inonem Cadmi filium nouercam filijs superinduxisse, quæ illis insidias tendens eò compulerit, ut Arietem uelleris aurei conscederint, & pontum ea parte, qua angustior est, traijcerè cœperint, Helle autem puellari timore exterrita deciderit in pontum, qui ab ea Hellespontus est appellatus, Phryxus uero incolumis in Colchidem peruenierit, & Arietem Marti immolauerit, qui inter sydera locatus pristinam effigiem tenuit, ac eius uellus aureum in templo suspenderit, pro quo Iason, ceteriq; argonautæ permagna pericula adiuuerunt? Hæc uobis in promptu sunt, Aud. de quibus qui rem factam ad historiæ ueritatem conuertere sunt conati, partim scriperunt fuisse paratam fugientibus Athamantis filijs nauem quandam, cuius insigne Aries esset: partim Arietem fuisse nominatum illorum educatorem, cuius consilio, & opera aufugerint: partim arietinis chartis fuisse librum conscriptum, qui conficiendi auri, & argenti rationem contineret, quo Phryxus, & Helle, ut commodius se seruarēt, usi sint. Quæ omnia, & alia eiusmodi hominibus in litterarum studio curiosis relinquentes uenimus ad explicanda ea, quæ grauiora sunt. Animus, cum creatur à Deo, duplii est facultate instructus, appetitu, & ratione. Appetitus autem duas habet alas, id est, duos instinctus, alterum addiuinum uerum, alterum ad diuinum bonum: ratio autem duobus est exornata luminibus, altero infuso, quo superiora conspicit; altero innato, quo æqualia, & inferiora cognoscit. Tunc animus ex ea parte, quæ in appetitu posita est, omnino rationem sequitur. Et hic est Athamas, qui coniungitur cum ipsa Nephele. Atq; hinc oriuntur duæ uirtutes; Fortitudo, quæ apud Platonicos uirilis est, ac magis pendet ab infuso, quam ab innato lumine, & idcirco magis diuina, quam humana appellari potest: ac Temperantia, quæ fœmina est, atque illustratur magis fulgore innato, quam infuso, & ideo magis humanam, quam diuinam naturam sapit. Illa est Phryxus: hæc Helle. Quid consequitur? Idem animus spreta ratione, obseruato magis splendore ingenito, quam immisso, immo uero infusum aspernatus,

ad

denotat: tum uero etiam ortum huius universitatis, quem Mūdum vocamus, significat; quod in Mundi creatione incipiente die illo pulcherrimo, ac iucundissimo, qui primus omnium illuxit, quo cœlum, & elementa in hunc maximum sunt fulgorē expurgata, Ariete medium tenēte cœlum prima hora fuerit mundi nascentis; & cum medium cœlum, quasi mūdi quoddam principium sit, Aries inter omnia Zodiaci signa primus habitus fuerit, qui exordio lucis ut mundi caput apparuit; ut quod signum aliorum signorum primum nouum mensem, & nouum annum, atq; adeo nouam mundi fabricam indicat, idē exortum huius Academiæ, quæ primo mense, principio anni tamquam nouus quidam mundus, luculentissimis uestrīs contemplationibus, meditationibus, disputationibus splendescens, tot illustribus, ac præclaris uiris refulgens, exorta est, patefacere uideatur. De quo insigni cum oratio ex dignitate haberi nō possit, nisi commemoarentur non solum poetarum figmenta, quæ pertinent ad professionem meam, uerum etiam philosophorum dogmata, quæ sub illorum inuolucris, atque integrumentis comprehensa obscuriora uidentur esse, quam ut orationis luminibus illustrentur; non ausus fuisset, Aud. in tanta philosophorum copia me huic oneri subiicere, nisi princeps Academiæ præclarissimus id mihi imposuisset; quod minore molestia subiui, fretus incredibili uestra humanitate, atque benignitate, quæ non sublimiora à me postulabit, quam attingere meæ professionis mediocritas queat. Iam uero, quid poetæ de Phryxo, Helle, Ariete aurato fictis prodiderint fabulis, breuiter narrabo; & quæ philosophorum præcepta ad has fabulas possint accommodari, strictrum explicabo; atque aliqua uos breui, quamquam non necessaria cohortatione de retinendis Academicis exercitationibus admonebo. Quod munus cum sim non minus breuiter, quam iucunde in frequentissimo, atq; honestissimo confessu uestro obiturus, magis consuetudine, quam quod ita necessarium existimem, peto à uobis, ut me attente audiatis. Neque uero mihi consilium accidit diuersas de his rebus ueterum poetarum, atque aliorum scriptorum opiniones recensere (id enim nimis longum, & parum fructuose sum meo quidem iudicio esset) sed tantum, quod ad propositionem nostram attinet, dicere. Nec diutius commorabor in rebus

ad unum innatum conuersus, fractis duabus appetitus aliis, relictis superioribus ad inferiora delabitur, & cum corpore natura commiscetur. Hoc est secundum Athamantis matrimonium cum Inone contractum. Neque uero uobis mirandum est, Aud. quomodo cœlestis animus factus terrestris aliquid adhuc diuinitatis retineat; si quidem à splendidissimo candore Cisci eluentis, quem orbem Lacteum nuncupant, per Cancrum descendens retulit à Saturno ratiocinationem, & intelligentiam, à Ioue uim agendi, à Marte facultatem magnifice, grauiter, animoseque uiuendi, à Sole naturam sentienti, & opinandi, à Venere propensionem desiderandi, à Mercurio potestatem, quæ sentiat, pronunciandi, & interpretandi, à Luna motum corpus augendi; ut sit & luminosis corporibus coliustratus, & nonnullam illorum uirtutem consecutus. Multum tamen defecit à priore constitutione, immo uero quāplurimum; cum antea liber, postea seruus: antea cum aliis in celo, post sine aliis in terrenis membrorum vinculis: antea omnia sciens, post omnium oblitus: antea facillime intelligens, post paullatim reminiscens: denique antea deus, post homo in rerum uniuersitate apparuisse existimetur. Quā pernicioſa autem sit, & molesta nouerca hæc ipsa natura corruptioni subiecta, cum alia plurima, & firmissima argumenta declarant, tum illud in primis, quod nos, id est, animos nostros à summi boni contemplatione abducatur, in abiectissimarum rerum tractatione detineat, ambitione, avaritia, libidine, impedit, uariis perturbationibus afficiat, uariis morbis opprimat, Fortunæ telis subiicit, & deteriori conditione reddat, quā belluas ipsas, quæ tametsi miserrimæ sunt, miserias tamen suas non cognoscunt, cum data sit nobis cognitio ad nostras ipsorum calamitates, nostras ærumnas cognoscendas, ut illorum sententia omnino uera sit, qui nullam obtineri felicitatem posse censuerunt, nisi à corpore animus aliquo modo abducatur, atque abstrahatur. Propter hanc nouercam cum in maximis periculis uersati essent diuinus Phryxus, & humana Helle, quorum alterum diuinam in homine fortitudinem, alteram humanam representare temperantiam superius diximus; Arietem consenserunt, id est sua potissimum uini sunt. Neque enim per Arietem tam præclarum, ac preciosum intelligimus aliud, nisi

admis-

admirabilem uirtutis uim cum gloriæ immortalitate coniunctam. Hac uī qui nituntur, Aud. non timent fortunæ potestam, sed suam sibi fortunam architectantur; non uoluptatum blanditis deliniuntur, sed proprijs, ac perpetuis, ijsdemq. since risimis, nullaq; ne minima quidem permissione molestiæ contaminatis uoluptatibus se oblecant; non diuitiarum splendore commouentur, sed, si eas habent, ijs ut uirtutis, non ut luxuriæ administris utuntur, si non habent, non admodum requirunt, quippe quæque haberia ab optimis, ac pessimis possint; non ambitionis facibus ascenduntur, sed uerum decus, ueramq; gloriam in una uirtute ponunt; non huius uitæ procellis, turbinibus, tempestatibus superantur, sed ad eas ita se habent, ut Olympi cacumen, quod uis uentorum non peruenit, ut rupes edita, cuius summa fluctibus non attinguntur, imo fluctus frangunt. Hac uī Phryxus se seruauit: Helle se seruare non potuit; quod ille fortior, constantior, animosior esset, cœlesti potissimum lumine fretus: hæc timidiuscula, & minus animosa, humanarum uirium imbecillitate laborans. Itaque ille ex ponto euasit: hæc in pontum decidit. Diuina enim in homine fortitudo omnia uincit, omnia superat: at humana temperantia libidinibus, & uoluptatibus, sollicitudinibus, & laboribus facile obruitur; unde illud, **FACILIS IACTURA.** Ab animoso igitur Phryxo animosi appellamini: ab Helle parum animi habente discitis, quæ sit fragilis humana natura, quæ ponto, id est humanarum rerū, defatigatione ($\pi\acute{o}\cdot\tau\acute{o}s$ enim quasi $\pi\acute{o}\cdot\tau\acute{o}s$ dicitur) sæpenumero frangitur. Quemadmodum autem Phryxus auratum Arietem Martis fingitur immolasse, & eius uellus aureum in Martis templo suspendisse: sic uos merito Martinengo, qui uestra studia in suis ædibus benignissime fouet, ex cuius humanitate, tamquam ex fonte plurima in uos decora, atque ornamenta redundant, quo patrono, custode, defensore uestræ dignitatis, & gloriæ utimini, omnem industriam uestram, omne studium, omnem animorum, atque ingeniorum uestrorum fructum consecratis. Iam uero Aries, quem significare uirtutis uim modo diximus, cum inter sydera pro Martis domicilio esset collocatus, octodecim stellis refulsi; una in capite, tribus in cornibus, una in pede priore de primis, una in pede posteriore de postremis, tribus

tribus in cervice, una in cauda, tribus in lumbis, una sub uentre, quattuor in scapulis. Vereretur, Aud. ne id, quod dicturus sum, parum uobis probaretur, nisi liquido constaret, tantum esse uirtutum splendorem, ut illæ cum coelestibus luminaibus comparari merito possint. Arietis igitur stellæ clarissimas quasdam indicant uirtutes ab animi nostri facultatibus originem trahentes. Etenim animi facultates aut sunt rationis expertes, aut rationis participes. Rursus rationis expertes aut uitam continent, ut uis nutriendi, augendi, procreandi; quæ cum sint non in animalibus solum, uerum etiam in stirpis, nulli uirtuti originem tribuunt: aut animal constituant, & sunt duorum generum; uel quæ cernuntur cognitione, & apprehensione, ut quinque sensus, qui singula apprehendunt, & phantasia, quæ continet formas rerum sensibus perceptarum, ac de illis iudicat: uel quæ cernuntur appetitione, & declinatione, ut uis irascendi, & uis concupiscentiæ; in quibus oriuntur affectus, & quas temperant uaria uirtutes ad agendum pertinentes; ut illam quidem fortitudo, mansuetudo, patientia, perseverantia: hanc uero in materia honoris uirtus illa, quæ ab una parte magnos honores spectat, & dicuntur magnanimatas, ab altera paruos, & nomine caret: in materia iucunda, amicitia, festiuitas, ueritas, temperantia: in materia utili iustitia, magnificentia, liberalitas. Rationis autem participes partim sunt appetitionis, ut uoluntas, quæ semper appetit bonum, & præelectio, quæ modo bona malis, modo mala bonis anteponit; quarum utraq. adhibetur ad moralem uirtutem conformandam: partim cognitionis, ut mens, mentis agitatio, opinio; atq; ex hac quidem uel uirtus, uel certe uicina uirtuti sagacitas oritur: ex illis uero ars, scientia, intelligentia, sapientia proficiuntur. Quæ igitur Arietem illuminant, ac distinguunt stellæ, uidentur animi nostri uirtutes significare; quæ est in capite, illam omnium uirtutum supremam, magnificentissimo uocabulo appellata sapientiam: quæ sunt in cornu dextero, tum cam, quæ est habitus principiorum, intelligentiam; tum per primam, propriam, & necessariam caussam rerum cognitionem, scientiam nuncupatam: quæ est in cornu sinistro, illam magistram uitæ, omnium bonorum consiliorum præceptricem, omnium honestarum actionum moderatricem, omnia

omnium moralium uirtutum ducem, gubernatricemq; prudentiam: quæ in pede priore de primis, habitum artium ad uitam humanam necessiarum: quæ in posteriore, sagacitatē, & præparationem quandam ad scientiam, & prudentiam comparandam: quæ sunt in cervice, in dandis paruis liberalitatem, in dandis magnis magnificentiam, in reddendo suo unicuique iustitiam: quæ sunt in cauda & lumbis, tum temperantiam in libidinem, atq; in alios non rectos impetus animi dominantem, tum in communicatione ueri ueritatem, tum in communicatione iucundi pertinentis ad iocos festiuitatem, tum in communicatione iucundi pertinentis ad seria uirtutem amandi, seu amicitiam: quæ est sub uentre illam, quam modo magna nimilitatem, modo uirtutem innominatam esse aiunt: quæ sunt in scapulis, tum fortitudinem ad pericula considerate suscipienda, & labores perpetiendos paratam: tum mansuetudinem, quæ animos ad iram concitatos sedat, atq; tranquillat: tum rerum arduarum, & difficilium uoluntariam, ac perpetuam perspicacem, quæ patientia nominatur: tum firmiter, ac perpetuo in ratione bene considerata permanentem perseverantiam. O præclarissimum, atque ornatisimum sydus, dignum prorsus, quod huius præstantissimi coetus ad uirtutem, ad gloriam, ad splendorem nati esset insigne. Cum autem ad huius Arietis uellus aureum rapiendum argonautæ nauigarent, & præterentes sirenum insulam timerent, ne illarum cantu ad exitium perducerentur, unum in Orpheo perfugium habuerunt, cuius sonus, & cantus sirenum uoces adeo dicitur superasse, ut magis illo, quam his argonautæ mouerentur. Idem faciendum est uobis, V.C. ut uellus aureum, quod uobis ante oculos in singulari uestro insigne proposuisti, id est, uirtutem, cum immortalis coniunctam gloria consequamini. Cautendum est, ne sirenum, id est uoluptatum blanditiis decipiāmini. Attendens potissimum Orphei sonus, & cantus, id est, principis uestri optimi, ac prudentissimi consilium, prudentia, magnificencia, moderatio, unde optimus, & maximus actionum uelstrarum concentus, atque consensus omnem simphoniam superans proficiuntur, & quotidie magis proficiuntur. Quod si feceritis, siue dubio digni existimabimini, qui tam præclarum insigne habeat, digni, qui animosi appellemini, digni illis, quæ uos manant;

Q præmijs

totius Lycei, totius Stoicorum porticus, Epicteti, Plutarchi, Musonij, ceterorumq; qui fuerunt illi ætati suppare, non minori probitate, quam sapientia præditorum. Quod si fecerimus, melius inuestigare rerum caussas, melius contemplari caussarum ueritatem poterimus. Triplex autem est contemplatio; una eorum, quæ sub cœlestibus sunt: altera cœlestium: tertia eorum, quæ supra cœlestia. Ac in prima quidem contemplatione quieuit Democritus, is, qui se dicitur occæcasus, ut naturæ secreta melius rimaretur. Anaxagoras uero ea non contentus in altera uersatus est, quod cœlestia præstantiora existere, & ad ea contemplanda se natum esse affirmaret; in qua quidem contemplatione sic totus fuit occupatus, ut ea, quæ sub cœlestibus sunt, parum cognoscere uisus sit, cum inter cetera etiam niuem esse nigram affirmauerit. Aristoteles uero omnium ingenio, ac doctrina præstantissimus, ea, quæ supra cœlestia sunt, & diuina, longe digniora esse existimauit. In quibus omnibus contemplandis eiusmodi ineunda ratio est, ut ex cognitione rerum, quæ creatæ sunt, in notitiam creatoris perducamur; nec in rebus genitis ita consistamus, ut, qui eas genuerit, ignoremus. Iamuero, cum in ijs, quæ diuina sūt, dæmones, seu, ut Theologi loquuntur, angeli, & ipse Deus ponantur, Auicenna, & Algazel, magni nominis uiri, affirmare uisi sunt, in angelorum contemplatione animum humanum esse felicem. Quod tamen à Platonicis reprehensum est, & recte nostra quidem sententia reprehensum. Ecquis enim inuenitur, qui nesciat mentem nostram ita rerum caussas exquirere, ut nunquam quiescat, nisi eam inueniat, cuius nulla sit causa, solumq; Deum esse caussam caussarum, ut in solo Deo quiescere animus noster queat? Quis non uideat, nullum esse bonum, quod nostram expletat appetitionem, dum aliud præterea bonum inuenitur, quod accedere ad illud posse uideatur: solum autem illud bonum saturare, ultra quod nullum aliud est bonum: atq; hoc Deum esse? Non igitur in angelorum, sed in Dei contemplatione summum bonum consistit; quod quidem uere post mortem animi huius uita maculis non contaminati percipiunt; in hac autem uita illi magis attingunt, qui mortem magis commentantur, qui à corporeis uoluptatibus, qui ab illecebris sensuum, qui ab inanibus cupiditatibus ma-

præmij immortalitatis. Agite igitur, V. C. omnem corporis uoluptatem negligite, omnem aliarum rerum curam animo eii cite, omnem diligentiam adhibete, omnem laborem suscipite, ut tamquam noui Phryxi tuti à maximis nouercæ, id est naturæ corruptæ iniuriis pontum, id est labores, & miseras huius uitæ superare, & tandem aliquando Arietem Martis immolare, & eius uellus aureum in Martis templo suspendere, id est hominum uere animosorum, & fortium, ac constantium speciem præ uobis ferre uideamini. Conferte diuina ingenia uestra ad uirtutem contemplandam, atq; adeo excendam. immo uero cum eam contemplari, atque exercere iam diu cooperitis, præclarum institutum uestrum retinete. Nam si honestatem, si iucunditatem, si fructum requiritis; uirtutis studio nihil honestius, nihil iucundius, nihil fructuosius dici, aut excogitari potest. Si Rempublicam, si priuatam, si domesticam, si forensem, si urbanam, si rusticam tractare cupitis; uirtutis studium ad omnia pertractanda incredibile affert adiumentum. Si bellum, si pacem adamatis; uirtutis studium bellum moderatur, pacem exornat. Si quietem, si laborem, si ocium, si negocium, si adolescentiam, si senectutem maxima laude cohonestare uultis; uirtutis studium omnia cohonestat. Ergo uirtutis studium omnes actiones uestras perficietis. Cum dico uirtutem, primum intelligo bonorum morum conformatiōnē: deinde ueritatis contemplationem. Potissimum enim nobis curandum est, vt bonis moribus prædicti simus, disciplinam nostram legem uitæ existimemus, non solum dictis, sed etiam factis philosophemur, omnem modestiam, & moderationem in actionibus nostris adhibeamus, nulliq; alij rei magis seruiamus, quam ut probi uideamur, & simus. Neque enim illi sapientiæ studiosi imitandi sunt, qui, ut ait elegansissime Cicero, non sunt ita morati, ita animo, ac uita constituti, ut ratio postulat: sed disciplinam suam ostentationem scientiæ putant; nec obtemperant ipsi sibi, nec decretis suis parent, tantaq; ducuntur leuitate, & iactatione, ijs vt fuerit non didicisse melius, partimq; sunt pecuniæ cupidi, partim gloriæ, partim libidinum serui, ut cum eorum uita mirabiliter pugnet oratio. Verum uestigijs iusitendum est Socratis, Xenophonis, Platonis, Xenocratis, Callisthenis, totius veteris Academiz, totius

gis seudantur, cum ipsi animi ad seipso aduocantur, secum
esse coguntur, maximeq; à rebus corporeis abducuntur, ac
quodammodo disiungere se à corporibus discunt, id est mori,
ac uere philosophari consuescant, dum usque in cœlum sua
penetrant contemplatione, lumineq; fidei penetralia diuinitatis
lustrant, ac Dei cognitione, quantum licet in hoc ergastulo
corporis, perfruuntur. O finem præstantissimum, ac maxime
omnium cultu dignissimum; in quo perfruendo duo agit ani-
mus; uidet Deum, quo nihil est dulcius, nihil suauius, nihil
iucundius: ac Dei uisione gaudet, quod gaudium ita superat
omnem iucunditatem, ut nullæ uoluptates, nulla solatia cum
eo possint merito comparari. Ac Dei quidem uisionem diuinus
Plato ambrosiam nominauit: gaudium uero, quod ex eius
modi uisione concipitur, nectaris nomine denotauit. Ad quas
diuinas epulas ut aduolaremus, datæ sunt animis nostris gemi
næ alæ, nempe intelligentia, & uoluntas, quæ affida ueri inue-
stigatione, ac perpetua boni appetitione ad diuinum uerum,
& diuinum bonum perducunt. Hæ sunt illæ alæ, quibus uti
debet noster Phryxus una cum Ariete, & uirtutis exercitatio-
ne. Ad harum alarum ysum, & huius Arietis tractationem vos
maxime hortor. Hæc habui, quæ de aurato ariete dicerem;
quæ si intellexero uobis placuisse, id magis uestræ

in me benevolentæ, quam ylli meæ in
dicendo præstantiæ tribuam:
sin minus, sat ha-
bebo me
fuisse laudem uoluntatis,
atque obedientiæ
consecu-
tum.

Habita Patauij Anno MDLXXiiij.



D E L E G V M LA VDIBVS.

* Antonij Riccoboni Oratio. *



REDO ego uos, Auditores, mirari
quid sit, quod ego in admirabili inge-
niorum hominum præstantia, sum-
ma iuris consultorum copia, maxima
eloquentium multitudine de legum lau-
dibus orationem sim habiturus, qui
neque dicendi arte, cuius me studiosio
rem, quam peritiorem profiteor, neq;
juris cognitione, cui me non inficior aliquam quidem operā,
sed mediocrem dedisse, neq; uiribus ingenij, quibus perquam
exiguis me sentio esse ornatum, cum tot ingeniorum flumini-
bus, tot luminibus iuris prudentiæ, tot eloquentiæ fulminibus
sim comparandus. Verum meo iudicio mirari desinetis, meq;
audaciæ nomine minime accusandum censem, atque id,
quod facio, probare incipietis, si mei consilij causam, ratio-
nemq; mente, ac cogitatione comprehendenteritis. Tantam qui-
dem esse uestrorum magnitudinem, multitudinemq; benefi-
ciorum, quæ in me contulistis, intelligo, tantaq; ornamenta,
& commoda ex huius delatione muneris, quod quinque ab
hinc annos mihi obeundum curastis, profecta uestræ benigni-
tati accepta refero, ut, et si meæ, quam tenues, quamq; infir-

mæ sint ad hanc præsertim rem opes cognosco, tamen, quemadmodum uos me unum iuniorem, multis posthabitis senioribus eligendo quasi terminos beneficentiaz uidemini excessisse, ita mihi non contento earum artium traditione, ad quas sum electus, ad hæc etiam honestissima legum studia cohortandi, & quantum in me est, instituendi hi nobilissimi iuuenes videantur. Etenim qui mihi corporis labor, aut quæ animi contentio est unquam defugienda, ut beneficentissimis in me ciuibus aliqua ex parte satisfaciam, & perpetuam erga hunc ornatissimum iuuentutis confessum animi mei propensionem aliquo modo declarem, cum ex hoc ipso fonte plurimum in me redundauerit utilitas, & ipse ad non nullam hominum famam istorum commendatione subselliorum profluxerim? Fato equidem, Auditores, me omnia uestra causa debere; sed tristi meo, uestroque fato ea non sum ingenij, atque doctrinæ facultate instructus, ut litterarum omnium; quarum studio hanc florentissimam iuuentutem flagrare perspicio, patefacere ueritatem possim. Id quod, si quemadmodum uehementer cuncto, mihi liceret, nihil perfectò esset, cur proprijs relictis penatibus ad alios se magistros, quasi ad locupletes quosdam uirtutis, & bonarum artium mercatores, hi studiosissimi iuuenes convergent. ipse enim eorum commodis dies, noctesq; inferiendo uestra desideria explorarem, eosq; disciplinarū oīum doctores, uel certè doctorū insignibus quam dignissimos redderē. Quoniam autem hæc rerum uarietas, atque præstantia longissime à me abest, angerer, excruciarēmq; me, quod propter summam mearum uirium imbecillitatem tot, tantisque uestris in me meritis respondere minime possem, si nihil à me amplius quidquam, quam quod mei sustinere humeri possint, uos expectare non animaduerterem. Mea igitur uobis uoluntate, ac beneficijs obstrictus uestris, nō quia ex omnibus sim audacissimus, sed ut, quibus præter artes, quas ut publice doceam, mihi publico est decreto permissum, Iustiniani Institutiones, ac Institutionum glossemata priuatim declarauerim, ijsdem ne cohortatione quidem publica desim, de legum laudibus hodierno die statui orationem habere. Qua quidem in re perniciosa imperitorum quorundam hominum opinio me ualde perturbat, qui hoc legum studium leuisimum, atque humillimum esse

56

esse contendunt, neque omnino dignum, in quo elaborare debere iuuenes uideantur. Quid enim, aiunt, in tam immensis, ueteris prudentiaz uoluminibus, in tam ponderosis Digestorum, seu Pandectarum libris, in tam longis Imperatorum constitutionibus agitur aliud, nisi quæ tutelarum, agnationum, usucaptionum, alliuionum, mancipiorum, parietum, luminum, stillicidiorum, testamentorum ruptorum, aut ratorum iura, quæ stipulationum, & iudiciorum formulæ, & quæ huiusmodi alia innumerabilia sint, leuiora certè, atque humiliora, quam illius antiquissimæ, & nobilissimæ philosophiaz præcepta, cui qui sedederunt, cum cœlestibus comparantur? Evidem philosophiaz laudandarum artium omnium procreatri, & quasi partiti, bene factorum, beneque doctorum matri, dono, & inuento deorum, nihil detrahere ausim; tantumque abest, ut aliquid ei derogando iuris disciplinæ arrogem, ut hanc etiam ex intimis philosophorum libris penitus exhaustiā putem: uerum hoc ipsum studium affirmo tanta grauitate, ac magniscentia præditum esse, tanta rerum, & questionum pulcherrimarum tractatione instructum, ut qui hoc negligat, is non modo impurus, consceleratus, & nefarius esse, uerum etiam ex finibus humanæ naturæ efficiendus, expellendus, exterminandus uideatur. Id quod, et si huic ciuitati tam exploratum est, quam quod exploratissum, quæ tanta diligentia, atque animorum contentionem ad hanc præcipue doctrinam complectendam exarsit, ut, cum alias artes hic profiteantur admodum pauci, eam quamplurimi exornent iuris consulti: tamen pro mea suscepti munieris ratione, & maxima erga hos iuuenes benevolentia, ut, si quajus esse potest, dubitatio eximatur, & ab omnibus iura colantur alacrius, primum legis naturam, atque antiquitatem, deinde necessitatem, et fructum, si mihi exigui temporis attentioñem concederitis, demonstrare conabor. Atque ut facilius rem omnem intelligamus, eamque uiam, & rationem retineamus, quam in in omni disputatione retineri oportere doctissimi homines censuerunt, placet, quid sit lex, ante definire. Quomodo autem eius uim exprimere melius potero; quam si ex veteri scriptorum auctoritate dixero, legem esse, omnium diuinarum & humanarum rerum reginam, quam oportet præsidere et bonis, & malis, & principem, & ducem esse, & regulam esse iustorum

cio improbos afficiunt, defendunt, ac tuentur bonos: eandemque rationem aiunt in hominis mente confirmatam, & consequam legis nomine exornari: cumque eius uis sit, ut recte facere iubeat, uetus delinqueret, eam græce τὸν νόμον ἀπὸ τοῦ νομίζειν, i.e. suum cuique tribuendo appellari, latine autem legem à legē do existimant, vt uis tum æquitatis, tum delectus in hac ipsa ratione posita videatur. Aliorum opinio est legem definientium, ut sit uera gubernandi ratio, quæ ad finem optimum ea, quæ gubernantur, dirigit, uirtutibus præmia, uitijs supplia statuens, quadruplicem esse legem, unam diuinam, quam prouidentiam uocant (aiunt enim, ut res est, Deorum immortalium uir, natura, ratione, potestate, mente, numine mundum uniuersum regi, idq; esse legem testantur) alteram cœlestem, quod Fatum nominant, idest Fatalem, & immutabilem continuationem ordinis sempiterni, tertiam mouentem, quam natu-ram appellant, quartam humanam, cui naturalis prudentiæ nomen imposuerunt. Atque hinc intelligi facile potest, longe altiora iuris posse capi primordia, quam à ueteribus iurisconsultis sint capta. Age enim, legis originem quærimus; quid aliud dicunt, nisi primum in Rep. Ro. Regias leges à Romulo, & reliquis deinceps regibus comitijs curiatis fuisse perlatas, quæ à Sex. Papitio, qui Superbo regnante uixit, collectæ Iuris Papi- riani nomen adeptæ sint? An. autem post Remp. recuperatam quinquagesimo octauo, post urbem uero conditam trecentesimo secundo decemuiros legum tabulas conscripsisse, earumque interpretationem proprium iuris civilis nomen habuisse? Inde uero legis actiones à Pontificibus esse illatas, easq; à Cn. Flauio scriba Ap. Claudij in uulgas publicatas iuris civilis Flauiani nomen obtinuisse, atque alias actiones à Sex. Aelio fuisse compositas, quarum liber ius ciuile Aelianum fuerit appellatus? Actionibus porrò esse adjuncta senatus consulta, quæ se natus consulibus maxime, aut magistratibus illis, per quos haberet senatus poterat referentibus decreuit; & cum senatusconsultis connexas esse leges, quas populus uniuersus, consulibus, uel alio patritio rogante magistratu, ut dictatore, atque interrege centuriatis comitijs, unde etiam centuriatae dictæ sunt, ius sit; & scripta fuisse plebiscita, quæ plebs tributis comitijs si ne patribus plebeio magistratu, nimirum Trib. pl. rogante ac-

P cepit;

rum, & iniustorum, & eorum, quæ natura ciuilis sunt animatum, commendatricem quidem uirtutum, emendatricem au-tem uitiorum? Neque uero inter ueteres defuerunt, qui le- gem dixerint illam esse, cui omnes homines decent obedire, cum propter multa, & uaria, tum maxime, quia sit inuentum quoddam, & donum Dei. Id quod uel ab illis significatum est, qui ferentes populis leges non se illarum inuentores esse, sed aliquem Deum prædicarunt. Etenim Numa Pompilius, qui populum Rom. summa æquitate, & prudentia statim post Ro-mulum rexit, dicebat sibi cum dea Aegeria congressus esse nocturnos, eiusque monitu se leges, quæ acceptæ diis immortalibus forent, instituere. Draco autem, qui leges Atheniensibus pri-mus omnium tulit, & Solo, qui ex septem illis in cyltis sapientibus fuit, cuiusque etiam legibus usi sunt Athenienses, nonne in Mineruam earum inuentionem retulerunt? Quid por-rò fecit Lycurgus, qui Lacedæmonijs, quid Charondas, qui Catanæis, quid Minos, qui Cretensibus iura constituit? nonne hi quoque, quidquid instituerunt, id se ab Apollino, à Sa-turno, ab Ioue accepisse dixerunt? Neque uero aliter à Platone factum esse, à quo Magnesij, & Siculi leges habuerunt, ne-que à Zoroastre, qui Bactrianis, & Persis iura tradidit, memo-riæ proditum est, quorum alter omne inuentum Ioui, & Apol-lini, alter Horomasi tribuit. Quid Zamolism, & Trismegi-stum commenorem? ille enim, Scythis quæ dedit iura, accepta Vestæ, hic uero Aegyptijs, retulisse Mercurio existimatur. At-que, ut Matmetum tacitus præterea, quem tamen, quæ Ara-bibus seruanda tradiderat, se percepisse à Gabriele confessum esse ferunt, sapientius, quam alij, fecisse Moses uidetur, qui nō alicui ficto numini, quemadmodum cereri, sed illi optimo, ma-ximoque Deo, cuius nutu, & arbitrio cœlum, terra, mariaque reguntur, attribuisse legum inuentionem perhibetur. Merito igitur, legem Dei munus, atque inuentum esse, creditum est. Alij uero interius rem perscrutantes definitiunt legem esse, Re-ctam rationem imperandi, atq; prohibendi, uel Rationē sum-mam iusitam in natura, quæ iubet ea, quæ facienda sunt, prohi-betque contraria, uel Iustorum, iniustorumque distinctionem ad illam antiquissimam, & rerum oronum principem expres-sam naturam, ad quam leges hominum diriguntur, quæ suppli-

cepit; atque edicta fuisse addita, quæ cum magistratus ceteri, ut consules, Aediles, Tribuni, tum potissimum prætores edixerunt, quæc; tantæ fuerunt auctoritatis, ut iuris Honorarij nomen inuenient; postremo autem factas fuisse constitutions, quas constituti principes, quibus datum est ius, ut quod constituissent, ratum esset, intulerunt? Sunt hæc quidem iuris ciuilis scripti primordia, ab institutis Græcorum profecta. Verum ego cum doctissimis sentio viris, antequam lex ulla scriberetur, & ciuitates constituerentur, legem fuisse, atque illius cœlum, ac terras tuentes, & regentis Dei æqualem esse. Nolite enim existimare, Auditores, tum denique incepisse legem, cum scripta est: non enim à scriptis originem duxit, sed una cum mente diuina, quæ sine ratione, ac lege esse non potest, semper fuit. Quid? quod non omnia, quæ pro legibus scripta sunt, leges haberi oportet? ecquis enim nominauerit leges Dionysij, Alexandri Pheræ, Phalaridis, aliorumq; immanium tyrannorum decreta? An ne latrocinari, adulterare, testamenta falsa supponere iura erunt, quia hæc uoluntate, ac iusu alicuius tyranni, uel suffragijs, & scitis multitudinis cōprobata prōponi publice possint? Nullo modo separari lex à iustitia pot. Quare quod malū, id iniustum, quod iniustum, id non legitimū, quod non legitimū, id ex lege non esse censendum est. Quod autem ex lege est, id sine scriptis legibus obseruare nobis licet; præsertim uero, si normam legis, id est naturam ipsam sequi uelimus. Etenim quis non intelligat natura nos esse propensos ad diligendos homines, quod aiunt fundamentum esse iuris, eadē que natura ab iniuria nos arceri angore conscientiæ, fraudis que cruciatu? Id quod summi quondam poetæ fictis fabulis expresserunt, cum Eumenides, quarum & Athenis fanum erat, & apud Romanos lucus Furinæ, speculatrices esse, & uindices facinorum, & sceleris; eosque, qui aliquid impie, scelerateque commiserint, tedi ardentibus agitare, & perterritre dixerunt. Non enim sola poena à iure scripto proposita ad uexandos maiores homines satis est, quæ sāpe amicitia, atque misericordia remouetur, sed sublati etiam omnibus iudiciorum supplicijs furiarum tedæ ardentes, id est sua quenque fraus, & suus terror, suum quenque scelus, suæ malæ cogitationes, conscientiæ que animi infectantur. Quamobrem tametsi nūquam esset scri-

scriptum, perduelles grauissime castigandos, nullaque inueniatur scripta poena parricidarum, nihilque de peculatu, de stupris, alijsque criminibus sancitum esset: tamen, si quis Iunios, Vitellios, & Aquillios, qui de prodenda regibus patria nefaria, & scelerata consilia habuerunt, si quis M. Horatium, qui cum sua manu sororem imperfectam esse confessus esset, profecto non absolutus fuisset, nisi recens meritum obstitisset facto, si quis Coriolanum, T. Romilium, & C. Veturium, qui de furto publico postulati fuerunt, si quis Sex. Tarquinium, qui uim Lucretiæ Tricipitini filiæ attulit, alijsque conseleratos homines fuerit imitatus; non idcirco minus eum spreuisse legem, id est rationem profectam à rerum natura, & ad recte faciendum impellentem, & à delicto auocantem credendum est. Videte igitur, Auditores, quid inter decreta scripta, & leges intersit, illa etiam iniusta esse possunt: hæ nunquam à iustitia recedere posse existimantur. illa cum populis, & ciuitatibus orta sunt: hæ ante populos, & ciuitates fuerunt. illa mutabilia sunt: hæ sua natura immutabiles. illa sexcentis è chartis, & commentarijs, & præceptionibus discuntur, accipiuntur, leguntur: hæ uero ex natura ipsa arripiuntur, hauriuntur, exprimuntur. ad illa docti, & instituti pauci quidam homines: ad has facti, & imbuti sunt omnes; quæ profecto nulla scriptione indiguissent, si à corrupta male consuetudinis igniculi à natura dati opprimi, & extingui, atque exoriri, & confirmari uitia contraria non coepissent. Quod cum animaduerterent prudentissimi illi uiri, qui dispersos homines in agris, & in tectis sylvestribus abditos ratione quadam eompulerunt in unum, & congregarunt, naturalem iustitiam exprimentes iura constituerunt. Nam prius temporibus uiuebant homines in tyluis, ac in speluncis, sola legi naturæ, minores maioribus obedientes. Quam cum spernere coepissent, & cæcam, ac temerariam dominatricem animali cupiditatem sequentes uiribus corporis abuti uiderentur perniciosissimis satellitibus, prudentiores quidam plures familias incenibus, ac uallo suo consilio septas ad uitam inter se certo iure, certisque legibus deuinciendam incitauerunt. Cūq; illæ familiæ propter opiniones, moresque diuersos maximis inter le iniuriis afficerentur, communes quosdam arbitros, & iudices, rectoresq; constituere sunt coactæ, qui ciuitati leges

tu ferantur? Si cum terra naturali lege infimum locum teneat, hanc inundet aqua, superior sit aer, ignibus altissima ora redatur, haec ipsa inter se uelint sedem suam commutare? Nonne sublata lege perturbatio naturæ, & magna confusio sequitur? Atque, ut omittam haec paullo altiora, quæ à me ipso expectari intelligo, nulla certe ciuitas, nulla Respub. consistere meo iudicio potest, nisi legibus obtemperetur. Quid n. Athanas clarissimū quodā Græcia lumē, quid Carthaginē totifere Africæ, atq; Hispaniæ imperantem, quid denique Romā ipsam totius fere orbis terrarum dominam perculit aliud, nisi legum contemptus, atq; despiciens? Quid euertit Corinthum, quid Numantiā, quid Assyriorum imperium sustulit, quid Macedonum, nisi iuris ipsius neglectio? ut enim corpora nostra sine elementorum temperamento, & diligentí curatione uiuere diu non possunt: ita Respub. ipsæ sine recto gubernandi ordine, & legum obseruatione cito intereant, necesse est. & quemadmodum illa maxime corrumpuntur pestilentia, qua nihil humano generi detestabilius est; sic haec miserrimum exitium patiuntur, cum quibus in tota ciuitate plurimum potentia, atque audacia est, ij negligunt iura. Quid? quod illorum deterior, quæ harum conditio est? illa enim si non alijs morbis, at certe senectute tanquam matura, & cocta decidunt poma, & eadem illa, qua conglutinata sunt, natura dissoluuntur: haec uero, quia semper obseruare leges possunt, ideo etiam consistere semper possunt. Id quod facillime perspicitur ex præstantissima Venetorum Rep. quæ nulla alia de causa iustioris imperij infinita iam prope sæcula enumerat, atque aeternum habitura esse imperium uidetur, nisi quod in ea legum est obseruatio tanta, ut nulla certe maior nec in ueteribus Rebus publicis fuisse, nec in recentioribus inueniri posse uideatur. Haec illa est, quæ efficit, ut quemadmodum Romanī magnitudine, sic Veneti diuinitate imperij gloriantur. Haec illa est, per quam Veneti Romanis feliores, qui perpetuo uel cum hostibus, uel cum ciuibus dimicauat, optatissimæ pacis fructus domi, & foris quotidie percipiunt uberrimos. Haec denique illa est, cuius uiribus cum paucis quibusdam lustris urbs Roma libera fuerit, Venetiæ quam antiquissimæ, flos Italæ, ornamentum Europæ, orbis terrarum theatrum amplissimum, eundem suæ originis

præscripserunt, & populum ad uirtutem, ad decus, & honestatem amplectendam impulerunt. Atque ut plures familiæ in urbem unam ex locis syluestribus se retulisse dicuntur, ita plures urbes in eandem uoluntatem, communemque legem sic conuenerunt, ut constituta à natura inter homines societas omnino sit patescita, & unius ciuitatis beneficentia, liberalitas, bonitas, iustitia ad alias etiam ciuitates cœperit pertinere. Ergo nihil aliud peractum est, nisi quod naturæ vires corruptela malæ consuetudinis obscurata scriptis etiam legibus sunt illustratae. Sed quoniam satis de natura, atque origine legis dictum est, nunc de eius necessitate, atque utilitate est dicendum. Ea enim ita necessariam, ita utilem esse iudico, ut nihil magis necessarium, nihil utilius in hac rerum uniuersitate inueniri posse existimem. Sublata enim lege, non modo urbes, & Resp. & genus humanum, sed mundum etiam uniuersum tolli intelligo. Quod si cui dubium uideatur, is cogitet mecum, quidnam futurum sit, si leges à natura sibi impositas spernendo, neque cœlestis ille globus extimus, qui reliquos omnes complectitur, in quo sunt infixi illi sempiterni ignes, quæ sydera, stellæq; uocantur, ab ortu commet ad occasum uigintiquattuor horarū spatio, neque subiecti septem, quos posident errantes stellæ, quorum primus triginta fere annis cursum suum conficit, alter duodecim, tertius quattuor, & uiginti mensibus sex diebus minus, quartus anno, quintus tercentum quadraginta octo diebus, sextus tercentum triginta nouem, septimus uiginti septem, & octo horis, retro contrario motu uersentur, neque omnino cœlum naturali se conuersione contorqueat, neque cœlestia signa, id est, Aries, Taurus, Gemini, quæ tempus ueris conficiunt, Cancer, Leo, Virgo, quæ astatim, Libra, Scorpius, Sagittarius, quæ autumni, Capricornus, Aquarius, Pisces, quæ hyemis, aliâq; fulgentissima sydera terras clarissima luce collusfrerent. Si enim his naturæ legibus non pareatur, ecquis non uideat, ut concidat omne cœlum, omnisque natura intereat, necessarium esse? Quid porrò euenterum est, si ijsdem naturæ legibus resistentes aer, & ignis, mouendi uim, et efficiendi, reliqua uero elementorum partes accipiendi, & quasi patiendi, aqua scilicet, atque terra, dereliquerint? Si non, quemadmodum natura iusfit, aer, et ignis sursum, terra, et aqua deorsum, sed contrario mo-

nis diem colunt, & libertatis. Quid de ipso genere dicam humano? an cum ei congregatio sit necessaria, & ut homines inter se congregentur, necessariam esse legem constet, in ipso hominum genere legis necessitatem negabimus? ecquis non intelligit, necessarium homini esse, ut legem, quam in se habet, id est, rationem, quæ docet, & explanat, quid faciendum, fugiendumq; sit, tueatur, partem autem, quæ huiusmodi legi resistit, & ipsum hominem huc, & illuc rapit, id est, appetitum frenet? quomodo homo sit appellandus, si illius legis fuerit oblitus, quæ partes ei constantia, moderationis, temperantia, uerecundia dedit, & ab eo negligi non uult, quemadmodum se aduersus hominem gerat? an uero Bargulo Illyrico, Viriato Lusitano, alijsque latronibus æquabiliter prædam dispertientibus necessarias fuisse aliquas leges ad opes firmandas, atque augendas fatebimur; uiris autem bonis uedentibus, euentibus, conducebentibus, locantibus, aliaque negotia contrahentibus non necessario legibus parendum esse arbitrabimur? Quod si quodammodo inter illos, multo etiam inter hos magis necessariam uim legum esse, censendum est. Quarum profecto frumentum præcipuum esse intelligo, quod nos Deo quāsimillimos reddunt. Etenim cum alia omnia in Deo præstantissima, atque optima sunt, tum nihil præstantius, ac melius, quām duplex ratio, altera, qua rerum omnium notitiā habet, & intellectu ueritatem, altera, qua mundanæ uniuersitatis saluti consuit, & eius quadam procuratione tenetur. Hac duplice ratione, quam legem esse apparet, si non re uera homines ad Dei conditionem accedunt, præsertim dum his infirmis corporum cōpagibus, & his terrenis mēbrorum vinculis detinebuntur, at certe, quoad humana patitur natura, uidentur accedere, dum rerum causas inuestigant, & omnibus rebus sequendam esse naturam contemplantur, atque actiones omnes intuentur, considerant, & perpendunt, vitæ autem degendæ, familiæ custodiendæ. Reip. gerendæ modum ostendunt, & mores informando, propinquum propinquo, ciuem ciui, hospitem hospiti, & omnino hominem homini conciliando, ac populis leges, & iudicia administrando, excellenti quadam voluntate, de ipso genere humano benemerentur: vt, quemadmodum Deus recte à nobis non sapientissimus solum, sed optimus etiam, ac maximus ap-

pella-

nis diem colunt, & libertatis. Quid de ipso genere dicam humano? an cum ei congregatio sit necessaria, & ut homines inter se congregentur, necessariam esse legem constet, in ipso hominum genere legis necessitatem negabimus? ecquis non intelligit, necessarium homini esse, ut legem, quam in se habet, id est, rationem, quæ docet, & explanat, quid faciendum, fugiendumq; sit, tueatur, partem autem, quæ huiusmodi legi resistit, & ipsum hominem huc, & illuc rapit, id est, appetitum frenet? quomodo homo sit appellandus, si illius legis fuerit oblitus, quæ partes ei constantia, moderationis, temperantia, uerecundia dedit, & ab eo negligi non uult, quemadmodum se aduersus hominem gerat? an uero Bargulo Illyrico, Viriato Lusitano, alijsque latronibus æquabiliter prædam dispertientibus necessarias fuisse aliquas leges ad opes firmandas, atque augendas fatebimur; uiris autem bonis uedentibus, euentibus, conducebentibus, locantibus, aliaque negotia contrahentibus non necessario legibus parendum esse arbitrabimur? Quod si quodammodo inter illos, multo etiam inter hos magis necessariam uim legum esse, censendum est. Quarum profecto frumentum præcipuum esse intelligo, quod nos Deo quāsimillimos reddunt. Etenim cum alia omnia in Deo præstantissima, atque optima sunt, tum nihil præstantius, ac melius, quām duplex ratio, altera, qua rerum omnium notitiā habet, & intellectu ueritatem, altera, qua mundanæ uniuersitatis saluti consuit, & eius quadam procuratione tenetur. Hac duplice ratione, quam legem esse apparet, si non re uera homines ad Dei conditionem accedunt, præsertim dum his infirmis corporum cōpagibus, & his terrenis mēbrorum vinculis detinebuntur, at certe, quoad humana patitur natura, uidentur accedere, dum rerum causas inuestigant, & omnibus rebus sequendam esse naturam contemplantur, atque actiones omnes intuentur, considerant, & perpendunt, vitæ autem degendæ, familiæ custodiendæ. Reip. gerendæ modum ostendunt, & mores informando, propinquum propinquo, ciuem ciui, hospitem hospiti, & omnino hominem homini conciliando, ac populis leges, & iudicia administrando, excellenti quadam voluntate, de ipso genere humano benemerentur: vt, quemadmodum Deus recte à nobis non sapientissimus solum, sed optimus etiam, ac maximus ap-

pe-

næ, memoriæ, nominis, atque in Marino Pisaurio, Præsideclarissimo, illo iuris Pontificij, hoc ciuilis optimo custode. Quorum alter ex antiquissima ortus Canania familia, quam id temporis ex Constantinopoli in Italianam uenisse constat, cum immanissimus Turcarum tyrannus eam urbem cepit, Gulielmum Canarium maximum iurisconsultum, & Regiensem episcopum imitatus eam Religionis, & iuris rationem tenuit, ut eum Julius III. incredibili Pontifex non modo sapientia, sed bonitate etiam ornatus, suorum omnium consiliorum, & participem, & adiutorem esse uoluerit, nos autem, posteaquam est episcopus nobis datus, cum Lutheranæ hæresis immanitatem represesterit, & ceremonias publicas sanctissime custodierit, ad uniuersa hu- ius dicecessis commodum, dignitatemque tuendam, atque augen- dam natum, semper confessi sumus, & prædicauerimus. Alter ex nobilissima Pisauriorum familia originem trahens, ex qua prodijt Lucas Diti Marci procurator, uir nunquam satis laudatus; prodijt Angelus, qui Adriaticæ classi præpositus apud Mitylenen strenue pro patria pugnando occubuit; prodijt Nicolaus, qui ob singularem prudentiam, egregiamq; uirtutem ad Ferrariense bellum, quod cum tota Itala gestum est, senatus decreto missus pacem patriæ cum dignitate, & amplificatione imperij & nostra omnium, qui tunc in perpetuum Venetorum fidei à Deo commissi sumus, felicitate peperit; prodijt Benedictus, cuius optimus, senator grauissimus, imperator clarissimus, & formidolosus Turcis formidolosus, de quo melius est tacere, quam paucâ dicere; prodijt Hieronymus imperator fortissimus, & prodierunt innumerabiles alij clarissimi uiri: inde igitur natus Marinus, maiorum uestigiis insitens, admirabilem in Rep. administranda prudentiam, atq; iustitiam semper ostendit, nunc uero cum clarissimo uiro, Paullo Baduario Quæstore uigilantissimo, & Ghelino Ghelinio, uiro excellentissimo, & Vicario omnium, quos unquam uiderimus, humanissimo, se integerrimum nobis, & clementissimum præsidem præbet. Verum de his iustitiæ luminibus dabitur fortasse aliis commodior dicendi locus: hic nobis, quemadmodum propositum est, attingendæ sunt laudes legis, qua nihil utilius humano generi datum esse existimo. Quæ enim res alia homines ad uirtutem inflammat, hortatur ad decus, reuo-

cat

eat à flagitiis? Quæ uis alia efficit, ut auguste, & sancte uene- remur Deum, patriæ, quæ communis est omnium nostrum pa- rents, seruiamus, parentes, à quibus uita, patrimonium, liber- tas, ciuitas nobis tradita est, charissimos habeamus, uxores ame- mus, ac liberos educemus? Quæ uirtus alia docet, clientelæ, co- gnationis, affinitatis, amicitiæ rationem habendam, promissa, pacta, conuentu este seruanda, prodiciones, insidias, seditiones, stupra, corruptelas, adulteria, incesta uindicanda? Quod bonū aliud pupillos, & uiduas tuetur, pauperes seruat, innocentes, qui potentium opibus circumueniri, atque urgeri uidentur, conso- latur? Quæ manus alia uoluptatibus bonorum imitatrixibus, malorum autem matribus omnium, & doloribus, quibus hu- manæ sæpe mentes obcæcantur, quasi immanissimis belluis adhibet frenia? Deniq; , ne pluribus, quæ in promptu sunt, morer, cum iuanimis nostris infita sit, atque innata imperandi cupiditas, nihil profecto aliud ad ipsum imperium comparan- dum lege aptius inuenitur; cum per eam nobis parere duces, nobis reges obedire, nobis imperatores ipsi obtemperare ui- deantur: ut merito iurisconsulti duces ducum, reges regum, & imperatores imperatorum sint appellandi. Quamobrem cum manifestum sit, legem dei munus esse, & rectam rationem populorum ætate, ac ciuitatum seniorem, ac ita necessariam, ut siue ea nec hominum vniuersum genus, nec Resp. ulla sta- re, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus possit, tam ue- rò utilem, ut sit utilius nihil; reliquum est, ut, quamuis ea, quæ dicta sunt, inflammare satis hos nobilissimos iuuenes ad sequē- dum honestissimum legum studium potuerint, tamen tuendi officij mei caussa, familiarius agendo, eos breui cohortatione de huiusmodi retinendo studio admoneam. Vnde autem ini- tiuum suram? Vobis ne proponam priuati commodi ratio- nem, & diuitias magnas, quas legum, ac iuris cognitio afferre iuris perito in ciuitate existimatur? An dicam uobis nihil iu- risprudentia ad gloriam consequendam, & ad honores adipi- scendos opportunius esse? Fiant enim iuris periti ditissimi, & maximi oratores, ac Rerump. gubernatores existunt. Nam falluntur mea quidem sententia illi, qui eloquentiam ciuili sci- tia perfici non putant: & nemo est, qui ignoret, summas opes, & Rerump. administrationem legum studiosis propositam ef-

Q. se.

le. At laboriosum est hoc studium, fateor: sed non idcirco de serendum; nisi forte uirtutem, quia eam per labores iter face re summi quodam poetæ fictis prodiderint fabulis, & gloriam, quod ijdem laborem parentem eius appellariint, & bona omnia, quoniam alij quidam affirmarint ea hominibus à Dijs immortalibus nullo alio nisi laborum pretio uendi, spernenda nobis esse censeamus. Sed profectò ita est, ingeniosissimi juuenes, quod quidq; præstantius esse, ed laboriosius uidetur. An vero eximia ingenia vestra, & iuuentutis robur in umbra delitescere, & in ocio permittetis; & Demosthenem uobis non ponetis, quem tam studiosum fuisse memorie proditum est, ut opus immortale tractans, doleret, si quando opificum, qui rei vilissimæ studeberent, antelucana forte uictus esset industria? An tot excellentissimos doctores, qui, tanquam lucidissima sydera, patriam collistrant nostram, uobis non imitados censemebitis? Etenim, ut aliarum artium doctores omittam, de quibus tunc dicendi erit commodus locus, cum de Medicinæ, ac Philosophiæ laudibus orationem habebo, quemadmodum illis, quibus ὁ πυων Aristotelis indies explano, pollicitus sum, & iuris peritos tantum ex ordine temporum, cum insignia retulerunt, commemorem: habetis, quem imitemini, DOMINICVM CAMPVM, virum ornatissimum, quem tanta prudentia præstare constat, ut etiam suo exemplo declareret, quantum iuri cognitio ad rem familiarem tuendam, atq; amplificandam ualeat. Habetis I.O. BAPTISTAMIAN-CAROLVM, virum cum iuris doctissimum, tum in uerbis grauissimum, in sententijs acutissimum, & omnium artiū, quæ ad humanitatem pertinent, cognitione ornatissimum, qui, quanta prudentia, æquitate, clementia, integritate & Taurifi, & Brixiae, & Veronæ, & Patauij maleficiorum Iudex, & Feltri, & in ciuitate Foriulij, & Taurisi etiam, ac Patauij Vicarius in iudicando sit vsus, cum nec obscurus, nec varius sermo, sed & clarissima, & una omnium vox Rhodigium pertulerit, uestrum ignorare arbitror neminem: ut gloriari merito possit, se summos honores hominem per se cognitum, sine ulla commendatione maiorum uirtutibus suis clarissimis esse adeptum. Habetis ANTONIVM MARIAM FVLGINEVM, quem, nisi ordinem temporum fecutus essem,

cum

cum propter ætatem, tum quod huius ciuitatis gubernacula hoc anno sibi, quemadmodum sape ante, summa omnium ciuium uoluntate tradita, cum maxima sua laude tractat, certis anteposuisse, uirum, & iuris, & litterarum, & antiquitatis bene peritum, qui & adolescens dixit, & senex consulitur plurimum, in quo summa non uitæ solita, atque naturæ, sed orationis etiam comitas, & incorrupta quædam latini sermonis integritas laudatur, qui tanta memoria est, quantam in nullo cogouisse me arbitror, vt quæ etiam ab adolescentia uidebit, legerit, scriperit, ea nunc memoriter narret, qui denique tanta discendi cupiditate semper exarsit, ut in nullo unquam flagrantius studium animaduerterim, cum uel in ipsa ætate in grauemente peruolutandis libris multas traducat noctes. Vobis quoque proponitur I.O. FRANCISCVS D YRRACHIVS, uir præstantissimus, qui plurimis Fortunæ telis percussus in maximis semper calamitatibus se doctrinæ subsidio est consolatus, ejusque iactus sic tulit, ut non ab ea uictus esse, uerum eam uicisse omnibus uideatur. His adjicitur BERNARDINVS FORNAGERIVS, eques magnificus, in quo tantus animi splendor, & tanta magnitudo semper fuit, ut sibi omnia, quæ clarorum virorum essent, non dubitarit asciscere, eaque omni dignitate obtinuerit, quique tantam magnificentiam, & tantam fortitudinem ostendit, cum in florentissimo gymnasio Patauino eius clarissimæ vniuersitatis, quæ iuri nauaret operam, Rector fuit, ut omnibus se præbuerit amabilem, atque admirabilem. Adduntur etiam duo religiosi viri, FRANCISCVS CARRARIA, & AVRENTIUS ZERBINATVS, quorum alter ijs moribus, eoq; religionis cultu præditus est, ut nullus sit honor tantus, qui in eum collatus non uideatur ei, qui contulerit, magnam esse iudicij laudem allaturus: alter & comes, & eques propter singularem animi sui præstantiam factus est. Nec uobis paruum ad uerum decus incitamentum esse debet HERCVLES BELLONCIUS, quem etiam Cosmographiæ scientia mirabiliter delectari scio, quem cum prudentia, tum eloquentia præstare tanta manifestum est vt, si velit, (vult autem nunquam, propter summam integratem, atque innocentiam suam) caussam inferiorem dicendo

Q 2 facere.

facere superiorē possit, ea uero grauitate & iuris cognitio-
ne, esse ornatum, ut, cum primum ad munus iudicis obeun-
dum animum appulit, ei desiderium explere suum facillimum
fuerit, atque Brixia iuris Iudeus electus sit, maioresque indies
honores maximis suis uirtutibus consecuturus esse videatur.
Neque hoc loco prætermittendus est IO. G A S P A R
F R A C H E T T A , uir cum prudentia, & diligentia: tum
omni uirtute perquam excellens. Ac simul commemorandus
est ANDREAS NICOLIVS, ex quo manifesto ap-
paret hominis decus ingenium, & ingenij ipsius lumen esse
eloquentiam, qui est diligentissimus inuestigator antiquitatis,
quem ego cum audio, uel de iure ciuili, & pontificio, vel de il-
lis artibus, quæ ad humanitatem pertinent, disputantem, ita
contentus sum, ut melius non queram, qui vitium vocis, quæ
subrauca natura est, in bonum conuertens, & gestu emendans,
habet flebile quiddam in quæstionibus, aptumque cum ad fi-
dem faciendam, tum ad misericordiam commouendam, qui
denique pro ueritate, pro ciuium auctoritate, pro statu ciuita-
tis nullum uitæ discriben sibi vñquam vitandum putauit. Neq;
tacebo NICOLAVM CAMPAGNELLAM, qui
paternam gloriam consequitur, & naturalem quandam habet
in dicendo auctoritatem, & rebus inueniendis omnino acutus
est. Et dicam uobis, præsertim in uitæ ratione, IO. CASTEL-
LIVM imitandum, cum quo, nec continentia, nec pietate, nec
vullo genere virtutis multos existimo conferendos, qui que cum
fratres illos religiosos, & sanctos, non vmbrellis, & delicate,
sed horridæ, atque acerbæ vitæ, & antiquæ Religionis maximū
exemplar, quos Capucinos appellant, ad hanc urbem recipien-
dos curauerit, diuini se cultus omnino studiosum, & amante
ostendit. Neque præteribo HIERONYMVM DELAI-
TVM, qui ad iuris ciuilis cognitionem etiam illius quasi con-
tractæ, & astrictæ eloquentiæ, i.e. dialecticæ scientiam adiunxit,
vt illa dialectica dilatata, idest eloquentia commodius utere-
tur. Nec silebo IO. BAPTISTAM DEDVM, qui
cum iunior orsus sit in foro dicere, celeriter ad maiores
causas propter lumen ingenij sui adhiberi cœptus est. Atque
addam SYLVESTRVM SYLVESTRIVM, qui
admodum adolescens, quattuor annorum spatio doctoris in-
signia

signia consequutus, illud præstantiæ suæ specimen dedit, ut
ad maximam iuris prudentiæ gloriam peruenturus esse uidea-
tur. Addam GASPERM TISVM, acutum rebus inuenien-
dis, nec minus verbis expeditum, fortem uero astorem, & ve-
hementem. Addam LVDOVICVM NASELLVM, cuius
laudes tot, tantæq; sunt, ut neq; unde incipiam, neque, si ince-
perim, vbi finem inueniam, prorsus ignorem. Addam denique
IO. ANTONIVM MASPORIVM, doctum iuue-
nem, non sine facetijs, uerbis nec inopem, nec abiectum.
Quamobrem, cum, & amplissima uobis sint proposita præmia,
neque uobis desit ingenium aptissimum, atque ætas opportu-
nissima ad discendum, & habeatis doctores plurimos, atque
ornatissimos ad imitandum; cauete, ne uobis ipsi
deesse uideamini: vos enim in tanta do-
ctorum multitudine, & aca-
tis opportunitate,
atque
ingenij habilitate, tantis commodis, &
honoribus per ciuilis scientiæ
studium comparandis
indormire non
decet.

Habita Rhodigij, cum ibi publice doceret,
Anno M. D. LXVII.

Antonii



ANTONII RICCOBONI

D E

CONSOLATIONE EDITA SVB NOMINE CICERONIS,

Prima Disceptatio.



Extus iam agitur mensis, cum ego ad Hieronymum Mercurialem, Medicum clarissimum, & Comitem perillustrem, de consolatione edita sub nomine Ciceronis, in multis, & magnis, quæ me tum publice, tum priuatim occupatum, atque impeditum tenere solent, negotijs raptim, ut potui, scripsi ea, quæ satis patrone meo posse facere arbitrabar, quæque auditoribus meis non nihil utilitatis allatura esse uidebantur. Qua de re cum audiuissem magnos per totum terrarum orbem clementes editos esse, & contra multos in hac clarissima urbe disputassem, qui magis auctoritate non nullorum grauissimorum hominum librum esse Ciceronis partim refellendi, partim gratificandi studio, partim aliis de causis affirmantium, quæ argumentorum niti firmitate mihi uisi sunt: tamen, ut uerum fatear, nihil me magis in huiusmodi caussa perturbauit, & torcit, quæ quod ornatisimum uirum, à secretis Illustrissimi Veneti Senatus, fa-

cio

64

cto meo non parum offensum esse, non nulli dictarunt, & iuulgi iactarunt. Cum enim scirent, quod ego sine dubio ignoraueram, eum eiusmodi consolationem edendam tradidisse, ipsum à me, quod apertissime negaui, & nego, minus honestate significatum esse diuulgarunt; quem ut primum uiri quidam clarissimi mihi nominarunt, næ magnum dolorem concepi, statimque respondi, si eam rem nouissem eius ipsius interesse, hominis mecum ab ineunte ætate eorundem studiorum, eiusdemq. præceptoris, quem publice simul audiuimus, consuetudine, quamuis postea locorum interuallo, & occupationum uarietate intermissa coniuncti, ac propter dignitatem, & auctoritatem suam magis mihi honorandi, quæ ullo modo à me ab alienandi; me mihi ab hoc facto fuisse temperaturum. Verum, cum alia omnia cogitasse præter quæ eius offensionem; in maxima maleuolorum hominum admiroratione eam cepi consolationem, quod cum fama sit, haberi Venetiis manuscriptum consolationis librum, trecentorum prope annorum antiquitatem præse ferētem, potuerit uir prudētissimus existimare locutum esse me non de eo, qui librum edendum tradiderit, sed de eo, qui abhinc trecentos annos fortasse confinxerit; ut nemo profiteri debeat se hac de re succensere, nisi qui se ipsum simulasse istam consolationem confiteatur, & simul mihi cauſæ uictoriā concedat. Accessit ad molestiam meam, quod dum putarem mihi inter ceteros in hac cauſa fauturum Carolum Sigonium Murinensem, uirum doctissimum, ac doctrina, & eloquentia sua clarissimum, quem semper habui summum rerum meorum patronum, ecce mihi litteræ allatae sunt, quibus significabatur, dixisse eum, & scripsisse multis, aut Ciceronis, aut alicuius Cicerone maioris istam esse consolationem. Quod ita miratus sum, ut qui maximè; diuque ac multum dubitauit, an ea uox de uiro sapientissimo credenda esset; quoniamque litteras eius hac de re non uidebam, clara uoce negabam id dicere talem uirum potuisse. Postea uero quæ uidebantur, & notior eius opinio facta est, uim sæpe mihi attuli, an possem animo meo persuadere, quod ipse putaret; cumque, quod magis cogitabam, eò magis mihi in pristina mea sententia permanentum esse intelligerem: tamen uide, quid hominis auctoritati tribuam, maluissim profecto, ut Ciceron cum Platone, sic ipse cù

eo

eo errare, quām cum tam multis uera sentire, mequē eius partibus aggregassem (honestus enim est error magnos duces sequentibus, ut ait Quintilianus) si mihi licuisset à meo ipsius iudicio iam edito recedere. Cui quando ipse multas erroris te nebras duabus luculentissimis orationibus obiicere conatus est, quorum altera consolationem, de qua controuersamur, plus nimio laudat, atque in cœlum effert: altera in meis præcipue coniecturis refellendis uersatur, quoniam relinquere auctoritatem, sequi rationem, necesse habeo, non ut cum homine amicissimo, & quidem præstantissimo, contendam, sed ut ueritatem defendam, quæ omni est hominum dignitati præfenda, cuiusque carita est uis, ut ab iis interdum, quos charissimos habemus, quibusque omnia summa tribuimus, dislentire nos cogat, dum uehementi, honestoque, & admirabili eius indaganda studio ferimur: causam meam agam, atque ita agam, ut à quorundam aliorum mordacibus conuiciis, quibus melancinare conantur, me protegam. Ac primum ad reprehensiones aduersariorum in uniuersum respondebo. Deinde eas singulas, quæ de rebus allatae sunt, refellam. Tertio agam de uerbis. Postremo ad ea, quæ in priore meo iudicio properans scripsi, alia quædam adiungam; quæ omnia si mihi soluta fuerint, non uerebor, me in eorum castra uictum conferre, qui contra me pugnant: sin contra aduersarios aliquid habuerint roboris, dabitur mihi iusta excusatio, ut in prima sententia permaneam, donec ueriora, uel probabilita afferantur. Neque uero clam me est, quantum sudoris, uel potius sanguinis mihi fundendum sit, in tractanda re maxime contouersa, ac plenissima dissensionis: tamen Deo bene fauente, quid mea valeant uires, non iniuitus experiar. Iam cum de eo, in quo generatim reprehendor, hæc prima futura sit Disceptatio, ad id accedo. Reprehendit enim me Siganus in uniuersum, quod Ciceronis nomine cum librum priuare conatus sim, quem propter præstantiam suam ab ullo recentiorum factum esse, uerisimile non est; ac querit, quod tantum nostris, proximis uero temporibus hominis ingenium, quæ tam singularis industria, quod tam acre studium, quæ tam accurata esse diligentia potuerit, quæ Cicero nem tam perite, tamque artificiose simularit. Fuit, fuit Siganus, nomine auctoris Pataui ad aures meas non semel insusur ratum:

ratum: sed huiusmodi susurro semper obstiti, quod hominem pluris facerem, quām vt tam sāpe laberetur, ac dē multis eius orationibus vnam quamlibet dicendi grauitate, & elegantia isti consolationi anteferrem. Nunc, vt verum fatear, si veras esse tuas defensiones existimarem, vt nulli in ea nec sententiarum, nec verborum errores, quod probandum suscepisti, inuenientur, coniectura duceret ad suspicandum, fieri posse, vt vox illa de auctore vera esset. Quis igitur potuit esse tantus, & tam præstans auctor? quis profecto si non tantus, & tam præstans, sed longe maior, & præstantior requiratur, facile posse etiam digito monstrati videtur. Sed nunquam ero tam imprudens, vt quos errores in isto imitatore notauī, eos tanto viro tribuēdos censeam. Tametsi enim nemo est tam lynceus, quin quandoque offendat, & naturæ nostræ imbecillitas non patitur, homines vbiq; lynceos esse, somnusque non nunquam viris alioquin vigilantissem obrepit, ac nonnulli maximè litterati assiduitate laboris defatigati diligentiam, qua vna litterarum studia constant, non satis ad extremum seruant: non faciam tamen, vt tantum reprehendere uirum audeam. Sed solum, quāmodo de eo suspicari possem, nisi hanc ipsam consolationem negligentius fuisse scriptam existimarem, breuiter aperiā. Videretur enim ipsa ei iure attribui posse, è cuius domo prodisse, quique illustria dedisse documenta existimatur, quām excellat in Cicerone imitando, seque ad eius imitationem ita effingendo, ut contendere quandoque cum eius laude sane pulcherrima posse videatur. Cuius nam è domo rogas? dicam aperte, CAROLI SIGONII M V T I N E N S I S, cuius familiares eam diuulgarunt. Satis enim constat, Franciscum Via nellum cum Signonio summa esse familiaritate coniunctum, qui ipsum olim in Xenodochio, quod ad Di. Marci erat, & in quo tunc optimarum artium explicatores ex publico decreto profitebantur, multos annos vna tecum, & cum multis alijs litterarum studiosis publice cum maxima sua laude, ac prope incredibili onus cum admiratione, vt solet, docentem audiuit. At ex Vianelli, & Siganij litteris apparet, editam esse consolationem, priusquam viderit Siganus. Id non ego, sed alijs parum credunt, illasq; litteras fingi potuisse argumentantur. At habet Vianellus eius antiquissimum contextū ab hinc

R tre-

trecentos, & plures annos factum. Ne id quidem credant, nisi uideant, & putant ita esse uerum de hoc contextu, ut de alijs multis Ciceronis libris, quos Typographus, vel Librarius is, qui consolationis librum edidit, se editurum fuisse professus est, nisi ea fuisse interturbata. Eant, inquit, Pataqini Doctores, & suis se iudicijs consolentur. Dum enim increduli mihi opus venditanti, & ad annos triginta priuilegium, Illustrissimi Veneti Senatus habenti, negocium facessunt, eam laudem agregiam, & ampla referunt spolia, ut eloquentiae studiosos alijs Ciceronis libris, de Repub. de gloria, Hortensio, & consimilibus priuent; quos mihi patroni mei edendos traderent, ut polliciti erant, nisi tantæ turbæ concitarentur. O facinus indignu, & nefarium crimen, si dum in litteraria Repub. sententiam, qua liscunque esset, aperui, putans liberi hominis esse pro viribus in commune consulere, spretis etiam ineptorum quorundam obtrectationibus, tantum detrimenti litterarum studijs attulissent. Vera narro, nihilque fingo: id enim à Librario dictitari mihi quidam fide dignissimus affirmauit: etiam si postea eam famam de alijs Ciceronis libris non sine aliquorum risu percrebescerem, ita Vianellus per litteras ad Sigonium declarauit, vt ingenue confessus sit, non esse eos M. Tullij, sed aliquorum veterum scriptorum, quos tamen ne ipsi quidem Sigonio id litteris flagitanti adhuc nominatos fuisse constat; quos que cum se, ut scribit Sigonius, ex ipso antiquitatis promptuario proditurum propediem profiteatur, sine dubio si id fecerit, maximam ab omnibus litterarum studiosis gratiam inibit. Sed, ut ad propositum redeam, non solum Vianellus Sigonij familiaris eum librum typis imprimendum tradidit; uerum et alter eiusdem Sigonij amicus multis legendum præbuit, nempe Ioannes Sarius Zamoscius Polonus, is, quem ipse libri secundi de iure Italæ capite decimoquinto eximiæ doctrinæ, excellentisque ingenij iuuenem appellauit; & cum quo sibi uisit se consuetudinem, ac familiaritatem significauit, quippe cui dubitationes proponenti libenter declararet, & cum quo maximam doctrinam suam communicaret; quemque in familiarissimis, atque intimis eius esse, Paullus Manutius libro sexto Epistolarum ad Petrum Misconium scriptit. De eo igitur me minit vir præcellentissimus, & præclarissimus Ioannes Crato litteris

litteris datis ad Hieronymum Mercurialem, quas ab ipso Mercuriali patrono meo mihi concessas, ut scriptæ sunt, recitabo, ut simul viri eius, quem idem Manutius libro nono Epistolarum singulari doctrina, ac sapientia virum non inauit, de hac edita consolatione omnibus opinio pateat. Ioannes Crato Hieronymo Mercuriali S. D. Librum de consolatione Cancellarium Zamosciu, Regni Poloniæ ante multos annos scriptum habuisse pro certo scio. Iudicij rationes de eo ad te perscriptas misit mihi Scutellarius. Eas ad meum iudicium non reuoco. In eam sententiam, ne Ciceronis libellum, qui in Ciceronis nomine apparet, putem, facile adducor. Sed de imitatione Ciceroniana à tuo Riccobono dissentio. Diu autem hæc studia elegantiae, & puri, latique sermonis, non uoluntate, uerum necessitate, quam mihi misera mea seruitus attulit, abieci. Ad eā nunc redire, cum in cœlum via sit quærenda, & murienda, non debedo. Ricebonum ut à me salutes, peto. vale. Vuratisla uiæ. Octauo Id. Sept. 1581. Zamoscius igitur familiarissimus, atq; intimus Sigonij librum de cōsolatione ante multos annos scriptū habuit; à quo habuerit, aliorum sit conjectura: eū Crato nō putat Ciceronis, et si de imitatione Ciceroniana à me discessit, fortasse quia ego eius scriptorē fuisse Ciceronis imitatore scripsiterim, ipse uero aliter sentiat. Quid? quod egregia, & præclara ingenia Mutinensis, quandoque in eo se exercuerunt, ut ueteres scribendo repræsentarent? Nam, ut prætermittam pulcherrimas Ludouici Casteluetri, aliorumque Mutinensium imitationes, & id tantum attingam, quod ad rem, qua de agimus, pertinet, nonne etiam Iacobus Sodoletus, is, qui S. R. E. Cardinalis fuit, Ciceronem in obitu Tulli filiæ suæ se consolantem scriptis suis expresit? Atque is est Sodoletus, cuius exèplum iam tum, cum ætate floreret, securum se esse Sigonius ad Paullum Sacratum scriptit, ut legitur libro sexto epistolarum ipsius Sacrati. Eius autem consolationem, ut uerum fatear, nō dum uidi: sed commemoratam animaduerti in epistola quadam, quam Ioannes Sambucus, is, quem Paullus Manutius litteris suis ualde exornauit, summī Imperatoris historicus clarissimus, hac de re dedit ad Ioannem Michaelem, amplissimum Di. Marti procuratorem, apud eius maiestatem pro Serenissimo Venetiarum Principe Legatum illustrissimum; quamque ego à Bar

Ingenue fateor, cum omnia propter præproperam quandam festinationem tunc complectinequierim. Sat tamen habeo, ut intelligatur, id, quod mihi uisum est, multos grauissimos viros censuisse. Si enim auctoritatibus hanc causam confirmandā putarem, præter Cratonem, & Sambucum, esset mihi auctor inter alios innumerabiles, omnium honestarum artium uindex, ac patronus, Gulielmus Sirletus Cardinalis, quem in litteris oculatissimum, non esse hoc, de quo quæstio est, Ciceronis opus existimare, ad me perlatum est: esset M. Antonius Muretus, in genio, doctrina & eloquentia præstantissimus, quem dixisse, hanc esse exercitationem iuuenilem, & parui faciendam, quod etiam Sambucus litteris commendauit, certior factus sum; esset Petrus Victorius, is, qui maximam sibi apud omnes in politiore Humanitate auctoritatem quotidiani laboribus, atque assiduis uigiliis suis, & quidem per illustribus, comparauit; quæ tam parui hunc librum fecisse, à multis renuntiatum est, ut n̄ legere quidem uoluerit, quemque nondum lecto libro opinio nem iam concepisse mea potius, quam aliorum, congruentem, & similem, à nonnullis scriptum est: essent integræ ciuitates an tegræ prouinciae: esset ille ipse, qui contra me disputauit, Sigonius, qui litteris ad me datis maiorem doctorum hominum partem mecum sentire, seqüe huiusmodi argumentum tractasse, tanquam *ταραδόσαν*, confessus est. Sed ut auctoritates mittamus, quæ sine dubio innumerabiles sunt, & ad suspicionem, quam nonnulli de Sigonio habent, quamvis nostro quidem iudicio falsam, redeamus, quemadmodum Sadoletus Ciceronē se consolantem imitando effinxit, ut ex litteris Sambuci compertum est: sic Sigonius, qui Sadoleti vestigijs, insistere maximè studuit, vt litteris ad Paullum Sacratum missis significauit, potuisse simile quiddam facere nonnullis videtur: hæcque opinio multo magis percrebruit, non solum, cum ipsam consolationem ordiné ab eo excogitato fuisse perscriptam homines animaduerterunt; verum etiam, cum eum de ipsa tantopere laborare, tanquam de re sua, obseruarunt, & duas præclarissimas eius orationes hac de re editas esse intellexerunt; in quibus ipse tanta sententiarum grauitate, tanta verborum copia, tam claris, & illustribus orationis luminibus Ciceronem ipsum expressit, vt se longè magis idoneum ad eum simulandū, quam ille

scholamæ Sylvatico Patauino, Illustrissimi Senatus Veneti iurisconsulto celeberrimo, ad Aloysium filium, egregijs animi bonis iuuenem ornatisimum, auditorem meum missam, & mihi traditam totam recitabo, ut præter testimonium de Sadoleto, ipsum quoque de supposita consolatione mecum sentire, simul constet. Illustrissimo viro, Ioanni Michaeli. Di. Marci procuratori, & patrono suo omni obseruantia colendo, Ioannes Sambucus, S. D. Percurri, nulla fere anima recepta, de consolatione libellum, Ciceronis maiestati parum feliciter adscriptum; ex quo auctoris ingenium solutum, ad Ciceronis exemplum labore, atque exercitatione magis, quam natura, & indolis affinitate comparatum perspexi. Verba singula, & coniuncta, pura, latina, exquisita: consecutiones non item, & ambitus usitatos, minusque clausulas aptas comperti: numerum sententiarum nimis conglobatum, ac frequentem, epilogis haud loco idoneis munitum, hyperbata, triaectiones uerborum insolentes, universam structuræ rationem neglectam animaduerti. Addam, à uulgatis grammaticorum regulis interdum scriptorem discessisse. Philosophica sunt, atque testata, quæ ponit, oratio, genuisque dicendi atque æmulatio ad exemplum iuuentutis, atque styliformatidi commendationem accômodata. Credo ego huius imitatorem superiori proxima ætate uixisse; & cum Tullii tot libri nondum uulgo comparauissent, tentare ipsum, ingeniumque similitudine Ciceronis periclitari uoluisse. Laudandus conatus: quæ uitiosa uidentur, redigenda ad fontes: studiique si militudo non excludenda à scholis. Iudicium illius magni uiri probo. Ciceronis ille uolumina uersauit, & ut obseruo, ita sequitur, subegitque, ut laudem scribendo consecutus sit præclarum, sed cuperem non coniecturis modo, & collatione fragmentorum, similiumque locorum comportatione, uerum artificij notatione interim apertius ageret. Mitto Sadoleti repertum scriptum eiusdem argumenti, quod ille admodum iuuenis stylo roborando, & ex Cicerone formando exarasse uidetur; quod non minus, quam adulterinum æstimo, meque illustrissimæ magnificenziæ tuæ commendo. Ipsis Kal. Quintil. M. D. LXXXIII. Est Sambucus eiusdem opinionis, cuius ego sum, fictam esse consolationem: sed pauca me scripsisse putat, ad ea, quæ contra ipsam afferri potuissent: quod uel ego inge-

ille fuerit imitator, facile declarauerit. Mitto illa, quæ ex Ciceronis orationibus in persona sua imitatus est, ut inter cetera locum illum; Quo tandem seculo hoc homines acutissimi disserunt? nempe illo, quo multa eius generis alia felici doctrinæ hominum diligentia exierunt: qui est similis illi in oratione pro Milone; In qua tandem urbe hoc homines stultissimi disputant? nempe in ea, quæ primum iudicium de capite vedit M. Horatij fortissimi viri. In qua imitatione Cicerone modestior fuit Sigonius, acutissimos nominans pro stultissimis: & illa verba; Quærant alia argumenta, si qua possunt, neque non his, hoc opus Ciceronis non esse, aliquando poterunt extorquere: quæ similia sunt illis in oratione pro Archia; Quære argumenta, si qua potes: nunquam enim hic, neq; suo, neq; amicorum iudicio reuinetur; & alia quam plurima, quæ vt longissimum esset enumerare omnia, sic iuniores obseruare diligenter debent, ut à viro grauissimo, eiusq; similibus modum condiscant imitandi, nec faciant, quod quidam imperiti, qui frustra vndiq; libros compilant. Sed de ratione imitationis alio loco: nunc, quam insigniter ille Ciceronem loquentem, sūamque quodammodo caussam agentem induxit, ut non aliis ipsius imitans, sed verè ipsem et Cicero loqui videatur; breviter obseruandum est. Cum enim Cicero voluntatis suæ testimonium, atque argumentum pluribus in locis, quasi de industria consignatum, testatumq; reliquisset, illud Sigonius in persona eius sic expressit; Librum scripsi, in quo memet de morte filiæ consolatus sum: in quo pluribus uerbis humanæ vitæ miseras deplorauit; omnes sententias philosophorum collegi, qui mortem bonis omnibus praeditam, malis omnibus vacuam ostenderunt; itemq; omnia clarissimorum nostræ ciuitatis uirorum exempla, qui aut obitum suorum constantissime pertulerunt, aut ipsi mortem fortissime opperierunt: in quo animorum immortalitatem, atq; eorum, qui se in vita iustos, castos, atque integros præstiterint, beatitudinem demonstrauit. Quare merito eos à Græcis, tanquam Deos consecratos, cultosq; ostendit; ac propterea eorum exemplo filiam meā optimam consecraui; &, quam omnium Græcorum, ac Latinorum ingenij ad immortalitatem nominis celebratam, eandē dedicato etiam fano posteris colendam, venerandamq; propo-

sui.

sui. Hæc autem omnia adeò varie, copiosè, ac disertè perstrinxii, vt nulla à quoquā adhuc conscripta sit consolatio huiusmodi. O præclarum imitatorem. Si hic totus locus apud Firmianū, vel alium quempia reperiatur, quis eum non solū scriptoris auctoritate, qui ipsum citaret, verū etiam elocutionis splendor, & elegancia pro Ciceronis uerbis non recipere? Sed operæ preciū est videre, unde illa suis verbis expressa Sigonius sumpsit. Sic enim legitur de Ciceronis consolatione, & de uitæ humanae deploratione in r. Tusc. Quid necesse est, cum id agā, ne post mortem miserios nos putemus fore, uitam etiam effice deplorando miseriorem? fecimus hoc in eo libro, in quo nosmetipso, quantum potuimus, consolati sumus. De sententiis philosophorum libri duodecimi ad Att. epistola uigesima; Neque tamen progreder longius, quam mihi doctissimi homines concedunt; quorum scripta omnia, quæcunque sunt in eam sententiam, non legi solū, quod ipsum erat fortis ægroti, accipere medicinam, sed in mea etiam scripta transtuli, quod certè afflicti, & fræctiani non fuit. De exemplis clarissimum uirorum in tertia Tusc. Quid? qui non putant lugendum uiris? qualis fuit Q. Maximus efferens filium consularem, qualis L. Paullus duobus paucis diebus amissis filiis, qualis M. Catō, prætore designato filio mortue, quales reliqui, quos in consolatione collegimus. De animorum immortalitate in prima Tusculana; Hæc natura & deorum est, & animorum. hanc nos sententiam secuti his ipsis uerbis in consolatione hæc expressimus; Animorum nulla in terris origo, & quæ sequuntur. Itē; Qui se integrōs, castosq; seruauissent, his ad illos, à quibus esent profecti, redditum facile patere. De consecratione filiæ liberti eiusdem ad Att. epistola decima septima; Ego, quantum his temporibus tam eruditis fieri poterit, profecto illam consecrabo omni genere monumentorum ab omnium ingenii scriptorum, & Græcorum, & Latinorum. De fano epistola trigesima quarta; Fanum fieri uolo: neque hoc mihi erui potest. De excellētia consolationis, epistola decima tertia; Affirmo tibi nullā consolationem esse talem. Quis per Deum immortalē hæc omnia exprimere melius potuisse, quam Sigonius fecit? Idem eiusdem Ciceronis personam sic repræsentauit; Quod factitare Demosthenem obseruauit, ut eadem uerba, quoties aptè caderent,

derent, adhiberet, id nunquam in animum induxi, ut facerem: quod ea res miram ingenii tenuitatem, & nimiam uerborum inopiam indicaret; quibus ego sic abundauit, ut C. Caesar me copia inuentorem, ac principem bene de nomine, ac dignitate populi Rom., meritum appellari. Quamquam autem de industria ab hoc instituto refugi: tamen cum in consolatione perbellam quandam sententiam de animis, non, unde cetera, genitis intulisse, usque adeò illam probauit, ut de eadem re post in prima Tusculana disceptans iisdem uerbis repetuerim: quod elegantius, ac rotundius dici non posse censuerim; meque è consolatione ipsa sumpsisse testatus sim. Hiccine, quælo, est Cicero, qui locutus est, an. Siganus sub persona Ciceronis? profecto, nisi scirem esse Siganii uerba, ea facilius nomini Ciceronis concederem, quām totam illam præter fragmenta interiecta consolationem, quemadmodum etiam illum alium locum; Desinite mihi maledicere, & quæ mea sunt, mihi detrahere: quæ uos pro alienis damnastis, pro certo mea sunt, priora ex libro meo de consolatione, amici mei Laetantii auctoritate firmata, atque omnium adhuc assensione probata: posteriora ad uerbum ex secundo meo de finibus. Nonne meam consuetudinem perspexisti, ut si res postulet, easdem sententias, atque eadem dicendi genera repeatam, neque id luminibus eloquentiæ meæ officere posse ducam? Quod uos in primis homo qui dem Hispanus, sed mei in primis obseruantissimus potuit docere Quintilianus. Cum his Siganiani Ciceronis uerbis conferantur, si placet, insigniores istius consolationis loci, non facile mea quidem, sententia inuenietur, qui eis merito possit anteferrri. Cum igitur tam eleganter, tam polite, tam admirabiliter Siganus Ciceronem, Sadoleti ciuiis sui uestigiis insistens, in itari consueverit, profecto consolationem ex manibus amicorum, & familiarium eius profectam, quam Crato, Sambucus, Sirletus, Muretus, Victorius, aliisque inumerabiles, & totæ ciuitates, ac totæ prouinciæ Ciceronis esse negant, & ipse quoque Siganus se tanquam Ciceronis, loco paradoxi, defendisse affirmat, eidem Siganio, ut nonnulli faciunt, attribuerem, si tam polite, tamque artificiose scriptani comperisset, quām ipse litteris mandauit: cum præsertim in aliquem eorum, qui eiuslibri fragmenta collegerunt, quorum alter habuit familiares, &

res, & intimos illos, qui priores eum habuerunt, & cum certis communicarunt; alter, quemadmodum in priore meo iudicio notaui, quosdam fragmentorum locos ita correxit, ut in eiusmodi libro leguntur, atq; ortus est in Polonia, vbi quoq; is in manibus nobilissimi Poloni ante editionem manuscriptus conspectus est, facilius, quām in ceteros posse cadere conjectura videatur. Qui enim huiusmodi fragmentorum negotium suscepit, & necesse habuerit omnia loca percurrere, vbi mentionis talis consolationis fieri potuit, atque intellexerit, Crantorem, Theophrastum, Xenocratem, de luctu minuendo commentarios conscripsisse; is profecto minus difficulter, quām alij, nō solum exprimere potuisse existimatur sub nomine Ciceronis, quidquid Ciceronem disputasse ex alijs eius libris, & aliorum omnium auctoritatibus constat: verum ēt fingete, se habuisse prudentes de luctu minuendo cōmentarios, ex quibus præcepta collegerit ad leniendā doloris acerbitatē, & legisse veteres vel de luctu, vel de morte scriptores, Xenocratem, Theophrastum, Crantorem, quos tamen non legerit, & sumpsisse ex Theophrasti libro sententias, quas ex arbitrio formauerit; præterea persequi oīa consolandi genera, quemadmodū Cicero fecerat; & noua dicta, prout libuit, prodere; ac fragmenta etiam prius non collecta, & postea inuenta intericere, eorumque non nulla separe, atque in ea inserere, quæ liberet. Testimonia igitur illatum Ciceronis, tum ceterorum omnium, non magis meo quidem iudicio probant, Ciceronis librū esse, quām imitatem in eo diligenter fuisse, ut omnia complectetur, quæ ab omnibus citata essent. Quod difficile quidem, & laboriosum fuit, non tamen eiusmodi, ut fieri aliquo modo ab homine industrio potuisse non videatur, maxime verè ab eo, qui fragmenta collegisset, vel certe collecta diligentissime animaduertisset, atque omnem de libro mentionem inuestigasset, omnesq; ea de re scriptores excusisset, ac totam consolandi materiam animo perlustrasset. Quamobrem satis appetit meam longè aliam, quām Siganij, sententiam esse, si modò verè ita sensit, ut in orationibus dixit, quod mihi non probatur, & non potius aliud sentiens hoc ipsum argumentum tractauit, vel, ut ad me scriptit, tanquam *ταράδοσον*, vel, ut ipse litteris editis confitetur; ut amicis gratificaretur, uel fortasse, quia indignum auctoritate

S sua

sua iudicauit, ab ea sententia recedere, quam prius dixisset. Solent enim, inquit Cicero pro Quinctio, homines nobiles, seu recte, seu perperam facere coepерunt, ita in utroque excellere, ut nemo nostro loco natus assequi possit. Satis constat, cum Signius scripserit, omnia, quæ Cicero de se, aut alij de ipso tradiderunt, à nemine alio, quam à Tullio, eodem modo scribi, aut dici potuisse, me longe aliter sentire. Satis perspicuum est, si meliorem hanc consolationem iudicarem, quid Signio responderem, illud se protulisse affirmanti, hunc librum aut Ciceronis, aut certè præstantissimi alterius videri sibi esse ingenij; ac quærenti, ecquando alias nostris, proximisue temporibus homo tum acri instructus ingenio, aut tanta præditus industria fuerit, qui Ciceronem tam peritè, tamq; artificiosè simulare potuerit. Probarem enim illorum vocem, qui aiunt fuisse librum à Signio confitum, vel exercitationis caussa, cum juuenis esset, & Sadoleti exemplum talia facientis sequeretur, etiam ante fragmentorum editionem; vel postea, ut experitur, an pro Cicerone haberi posset. Diceremq; præstantissimum illud alterum ingenium fuisse Signij. Cumq; Bembos, Nauierios, Victorios, Muretos, alias multos, superiore proxima, & nostra hac ætate optimos Ciceronis imitatores nominare possem: Signium tamen hac in re ceteris omnibus anteferrē. Sed tantum abest, ut ipsum huiusmodi imitationis auctorem fuisse existimem, ut eam alicui tribuam non Cicerone maiori, sed ne cum Cicerone quidem, immo necum Signio quidem comparando, non præstantissimo ingenio, sed cui multa ad singulariem illam præstantiam defuerint, quæ à Signio tantoper celebratur. Quod spero me multo magis probaturum, si prius singulas Signij reprehensiones aduersus me editas sine villa pertinacia refellero. Quoniam vero huic primæ parti est satisfactum, ad secundam caussam est accedendum.

Antonij

ANTONII RICCOBONI.

DE
CONSOLATIONE EDITA

SVB NOMINE CICERONIS,

Secunda Disceptatio.



ATEOR. longè mihi aliud euenis, quam Signio euenerit. Is enim dicit, se accepto libro, de quo quæstio est, primum obstuuisse, atque alienum esse aliquid propter suspiciosem humanam naturam duxisse: deinde, ut legere multis audientibus ceperit, ac sententiarum gravitatem, verborum splendorem, ac singularem totius compositionis lenitatem sine vlla negociorum repugnancia senserit, illicò ad contrariam sententiam inclinasse: atq; in ea post firmius persistisse, postquam rem per oculum, ut sedatiore, sic intentiore mente, ac cogitatione lustrarit. Ego uero cum superiori proximo anno plurimum mihi gaudij atrulisset illustrissimus Di. Marci Procurator Venetus, Joannes Michael, maximus litterarum patronus, quem honestatis, amplitudinisq; gratia nomino, affirmans eum librum Venetas delatum

S 2 esse,

esse, qui certo Ciceronis esse crederetur, primum accepto eo
multo magis gauisus sum, ut par erat, nihilq; habui dubitatio-
nis, quin ipsius Ciceronis esse posset, ut nec de Liuij quidem,
ac Paterculi historijs, nec de eiusdem Ciceronis oratore, ac
Bruto, atque ipsis ad Att. & aliquot ad Brutum epistolis me-
moria patrum nostrorum & nostra inuentis dubitari intelli-
gebam. Deinde ut primum legi, & nec sententias, nec uerba
Ciceronis maiestati congruentia, totamq; compositionem
luitam, & Ciceroniano uinculo minimè nemam, non sine aliqua
rerum repugnantia comperi; statim contrariam opinionem
concepi, causasq; aliquot, cur ita opinarer, petenti Hierony-
mo Mercuriali, uiro clarissimo, aperui, atq; in eo, quod prius
animo comprehederam, perseueraui, postquam re diligentius,
atq; actius per has publici muneriis uacationes explorata, &
perspecta, plura alia inueni Ciceronis nomini repugnantia,
qua postea exponam, & ne ijs quidem, qua hoc mense erudi-
tissimus Siganus aduersus coniecturas meas litteris consignata
in lucem, & aspectum hominum produxit, de sententia dece-
si. Cur autem non decesserim, cum hac disceptatione decla-
randum, atq; explicandam sit, priusquam ad singula, qua mihi obiecta sunt, respondeam, ut iunioribus gratificer, Rhetoru-
more totam caussam constituam. Intentio enim Siganus est,
Liber de consolatione nuper editus Ciceronis est. Depulsio
mea, Ciceronis non est. Quæstio coniecturalis. Vtrum sit,
necne. Ratio, Quia nec res, nec verba continet Ciceroni con-
gruentia. Firmamentum; Immo vero continet. Iudicatio gene-
ralis iuridicalis, Vtrum contineat, nec ne. Iam, ut meam ra-
tionem confirmarem, oculo coniecturas adducebam, de rebus
quidem quinque: at ttes de uerbis. Prima de rebus fuit, quod
in principio sententia est imperfectior, quam ut Ciceroni tri-
bui debeat. Altera, quod, qua in hoc libro vituperata est Seneca
in Catone maiore sine vlla excusatione laudata est. Tertia,
quod adhibita sunt multa in alijs etiam locis usurpata, cū par-
ua mutatione, & magna plerunq; depravatione. Quarta, q; inser-
ta sunt fragmenta eodem ordine, quo à fragmentorum inuesti-
gatoribus edita sunt, & interposita quædam, qua non sunt Ci-
ceronis, & addita non nulla, qua rei ueritati repugnant. Quin
eta, quod quædam exempla clarissimorum uirorum alter co-

memo-

memorata sunt, quam à Cicerone suisse narrata uideantur; &
quædam prolatæ, qua incertum est, an ab eo comprehensa fue-
rint. Quod attinet ad uerba, prima coniectura erat, quod quæ
dam essent minus Ciceroniana. Altera, quod alia minus pro-
prie dicta. Tertia, quod non nulla minus latina. Quas om-
nes Siganus reprehendit. Quomodo autem reprehenderit, &
quid ad singulas eius reprehensiones respondeam, opera pre-
cium est explicare. Tota igitur controversia est de qualitate re-
rum, & uerborum, qua in hac consolatione continentur. Hac
autem disceptatione de rebus, sequenti de uerbis agemus.

I. Ac reprehendit quidem primum Siganus, quod scripse-
rim, si Cicero principium illud fecisset; Quamquam recenti-
bus morbis medicinam adhibere uetant sapientes, eum in quar-
ta Tulculana fuisse id significaturum, ubi eius sententia, qua
fuit Chrysippi, mentio facta est, ipsamque aliqua muniri ratio-
ne ex præcepto Aristotelis debuisse, tamquam controversam.
Sed, ut ordine conuerso agam, contendit ille, non fuisse neces-
se Aristotelis uti præcepto, duabus rationibus, primum, quia
sententia erat probabilis, nam probabile, auctore eodem Ari-
stotele in Top. dicitur illud, quod ab omnibus, aut plerisque,
aut certè à sapientibus, & ab his, aut omnibus, aut pluribus,
aut maximè probatis approbatur; & illa firmatur sapientissimo-
rum hominum auctoritate; Hippocratis, qui dixit, Concocta
medicari, & mouere, non cruda, neque in principiis, modò nō
turgeant, plurima uero non turgent; Platonis in Timæo, cuius
uerba sunt; Morbi, nisi pericolosissimi sint, medicamentis
non sunt irritandi, nec difficile malum pharmaciis insti-
gandum; Chrysippi, qui uetuit ad recentiores quasi tumores
animi remedium adhibere: Plinii, qui ait; Crudum uulnus me-
dientium manus reformidat, deinde patitur, atque ultrò requi-
rit. Præterea, quia etiam Plutarchus, & Seneca in exordiis cō-
solationum suarum eandem sententiam nulla ratione fultam
adhibuerunt. Plutarchus sic, Quando peritissimi medici con-
fertim ingruentibus uitiosorum humorum fluxionibus non
statim medicamenta applicant, sed tumorem inde ortum pa-
tiuntur foris illitis remedis ipsum ultrò concoctione quadam
emolliri. Seneca ita; In morbis quoque nihil est magis peri-
culosum, quam immatura medicina. Hæc Siganus; qua non
satis

satis scio, an ei sint eoncedenda. An uero sic argumentatur, sententia est probabilis, ergo nulla indiget ratione? Quomodo id consequitur? Quot sunt probabilia, quæ nisi habeant rationem adiunctam, absurdia uideantur? Probabile quodammodo erat, Non posse mentiri quemquam, aut contradicere, neque duas de rebus iisdem contrarias orationes habere, quia id probatur Antistheni: & fortitudinem, sapientiam, iustitiam, idem esse, neque nos natura istarum rerum quidquam habere, sed unam esse scientiam, qua hæc omnia traderentur, quia Protagoræ: & nihil in terum natura esse, quod sit, quia Gorgiae: & eadem tu posse, tum non posse fieri, quia Zenoni: & omnia, quæ sunt in hac rerum uniuersitate, esse unum, quia Melisso: & omnia moveri, ac continenter fluere, & semper fieri, nihilque unquam esse, & contraria eadem esse, quia Heraclito: & quidquid est, immobile esse, & unum, quia Parmenidi: & sanitatem non esse bonum, quia Chrysippo: & alia huiusmodi quæ plurima; quæ aliis philosophis placuerunt. ea tamen omnia egebant ratione, ut crederentur. Cumque Aristoteles egit de addenda, uel non addenda sententiæ ratione, sine dubio non simpliciter intellexit, quod Siganus significat, tunc rationem non addendam, cum aliquo modo sententia probabilis esset, addendam, cum probabilis non esset: sed sententias esse ratione muniendas, si controuersæ uideantur, aut præter opinionem, si obscuræ, si contra ea, quæ in ore multitudinis sunt posita. Iam illam sententiam, Non debere medicinam recentibus morbis adhiberi, non negauit, ut notat Siganus, probabilem esse: sed scripsi pro latam esse contra illud, quod ore omnium contritum, & perculatum est, Principiis obsta: & idcirco tamquam controuersam, & aliquantulum obscuram, fuisse aliqua ratione fulciendam. Itaque notaui melius fecisse Ciceronem in quarta Tusci, qui non nullam Chrysippæ sententiæ rationem significauit; melius Plinium, melius Ouidium; quemadmodum etiam melius fecit Hippocrates, qui rationem aphorismi tantopere contra me non solum à Sigoño, sed etiam à plurimis aliis decantati, uide tur significare in illa exceptione, Modò non turgeant: plurima uero non turgent; ut intelligatur plerosque uitiosos humores in principio non medicandos, nec ullo auxilio mouendos; prius quam cocti fuerint, quia plerique non turgent, nec suopte ciē-

tur

72

tur impetu ita, ut statim rem dium requirant. melius denique fecit Plato in Timæo, qui ad sententiam superius notatam illam rationem pluribus uerbis expressam adiunxit; Omnis namque morborum constitutio animalium naturæ quodammodo similis est, Sanè animalium compositio ab ipso generationis exordio certis temporum curriculis terminatur: idque & genus uniuersum patitur, & animal unum quodque ab ortu fatale uiuendi spatium in se ipso exceptis necessariis passionibus continet. Etenim trianguli ab ipso initio singulorum uim possidentes usque ad certum tempus sufficienter ad usum uitæ cohærent: ultra id nemini uita prorogatur. Idem quoque constitutionis modus languoribus conuenit; quos si quis contra fatali temporis cursum pharmacis amputare contendere, ex partibus ingentes, ex paucis multi euadere conantur. Quod attinet ad Plutarchum, & Senecam, illius quidem sententia in consolatione ad Apollonium enthematica uidetur, quæ habeat inclusam rationem, ita ut intelligatur, ingruentibus uitiorum humorum fluxionibus ex consuetudine præstantissimorum medicorum non statim medicamenta applicanda, quia prius tumor, inde ortus, sit ipse ultrò concoctione quadam emolliendus, & ad maturitatem perduendus. Huius uero sententia in Consolatione ad Albinam matrem accipit uim rationis ex superioribus uerbis. Sic n. legitur; Sciebā dolori tuo occurredū nō ēē, ipsa eum solatia irritarent, & accenderent. Nā in morbis quoque nihil est magis piculosū, nec pniciosū, quam immatura medicina. Cur igitur medicina immatura est perniciosa, & periculosa? nempe, ut declarant superiora verba, quia morbos irritant, & accendunt; quæ ratio addita non est, quia satis intelligebatur. Denique, vt Plutarchus, & Seneca Aristotelis præceptum non seruauerint, quod putat Siganus, statim ne sequetur, alijs seruandum non esse? Atque hæc omnia eō pertinent, ut illa sententia initio consolationis posita admittatur, tamquam probabilis & uera, sed in eo imperfecta, quod suam non habeat adiunctam rationem. Quid? si ostendero, illam ipsam nec probabilem, nec veram esse, nec illorum quidem, quos citat Siganus, auctoritate satis firmatam? primum autem obseruandum est, differre quodammodo inter se iædæ uæ dæpætævæ, id est, medicinam adhibere, & pæpæanævæ, id est, medicamento purgante

purgantē uti. id n. significare φραγματεύειν, doctissimi homines obseruarunt. Illud est genus, & pertinet ad omnes partes Medicinæ, quæ commemorantur tres, διαιτητική, χεροφυρική, η φαρμακευτική, quarum prima viētus ratione, altera manu, tercia pharmacis medetur: hoc verò est illius species, & pertinet tantum ad eam partem, quæ pharmacis vtitur. Iam falso est illud, vt generatim dicatur, recentibus morbis medicinam non esse adhibendam: semper enim aliqua medicina conuenit, si non tertia, aut secunda (non n.sæpe initius morborum pharmaceutica, aut chirurgia adhibenda est) at saltem prima; vnde illud apud Ciceronem ad Att. Diæta curari incipio: chirurgiæ tñdet; & in quolibet morbo sui dantur medendi gradus, ut ferè prius præparentur humores, deinde vehementioribus remedijs currentur; quæ omnia pertinent ad rei medicæ rationem. Quare simpliciter dicere, Medicinam adhibere vetant sapientes, est tam falso, quām quod falsissimum. tametsi enim vident adhibere medicinam purgantem, non tamen prohibeht, quominus aliqua medicina adhibeatur. alioqui tollerent excellentiam Medicinæ, quæ in principiis morborum maxime cognoscitur. Quò spectat aphorismus Hippocratis undejusimus in libro secundo; In principiis morborum, si quid mouendum uidetur, moue. Ratio est in sequenti aphorismo; Circa initia, finem morborum remissiora sunt omnia: in uigore uehementiora. At illa sententia probatur Hippocrati, Platoni, Chrysippo, Plinio, Plutarcho, Senecæ, ut apparet ex uerbis illorum superius notatis. Immo uero non probatur, si diligentius, quid senferint, inuestigemus. Nunquam n. indicarunt in uniuersum, medicinam recentibus morbis non esse adhibendam: sed aliquam non conuenire. Cum enim Hippocrates scripsit, concocta medicari, ac mouere, non cruda, neque in principiis, locutus est, non de omni medicina, sed tantum de purgante, quæ si in principiis prohibetur, non idcirco excludit alias. Non enim ait ιασθαι, sed φραγματεύειν, id est, non simpliciter medicari, sed remedio purgante medicari. Plato quoque in Timæo egit tantum de Pharmaceutica, in huc modum; Morbi nisi magna habeant pericula, non sunt irritandi pharmacis. Sed non ob id uetus alias medendi rationes. Itaque subiunxit; Quapropter diligentia viētus corrigendi, & gubernandi

gubernandi sunt morti, prout cuique datur otium, neque difficile, infestumque malum pharmacis instigandum. Præterea Chrysippus agens de recentibus quasi tumoribus animi significauit eandem esse rationem tumorum animi, & tumorum corporis; ut, quemadmodum illi non sunt statim pungendi, sed prius illito aliquo unguento molliendi; sic hi non statim requirant consolationem, sed prius præparationem quandam ad ipsam consolationem; quæ præparatio pertinet ad artificiū quoque oratorium, vt qui vult consolari, prius ad mœrentis affectum se accommodet, quām ad officium accedat consolandi. Itaque non omnem videtur medicinam sustulisse, sed tantum indicasse, potentissimum remedium non esse initio admouendum. Et Plinius, tametsi tradidit, crudum vulnus medentium manus reformidare, ne statim ferrum admittatur, & dolor ageatur: non tamen negauit ipsum crudum vulnus alicuius unguenti gaudere emollitione. Et Plutarchus non simpliciter egit de omni medicina, sed de Pharmaceutica sic; Neque statim applicant ex pharmacis auxilia, sed sinunt grauedinem inflammationis foris applicatis remediis ipsam per se accipere emolitionem. Cum ergo docuerit non applicari pharmaca, aperuit tamen aliqua externa remedia adhiberi; vt aliqua prorsus medicina opus sit, quamvis non Pharmaceutica. Postremò Seneca scripsit, in morbis nihil esse magis periculosum, nec pernicisum, quām immaturam medicinam, id est, præter tempus præbitam, quemadmodum si pharmaca initijs morborum præbeantur, quibus tunc uti non oportet, cum tamen aliqua alia medicina, saltem præparans, etiam incipientibus morbis, tempestiuæ esse posit. Ex quibus satis meo quidem iudicio patet, illam sententiam generatim prolatam de medicina recentibus morbis non adhibenda, minimè probabilem, minimeque ueram esse. In priore autem parte reprehensionis de Ciceronia na consuetudine citandi priores libros in posterioribus, cum res aliqua illorum in his poneretur, quid est, quod diutius immittere, cum ego quoque paruum in ea re momentum collocauerim? Scripsi enim sic; Sed si id aliquem non mouet, quod potuerit Cicero de eadem re in duobus, vel pluribus libris agere, etiam sine ulla mentione repetitionis: at saltem mouere debet locorum cum parua mutatione, & magna plerunq; depræ-

tandem amicus sic cauillari. esset uero caput meum tota dignum Anticyra, si id fieri potuisse existimarem. Quid? nonne ille dialogus est eiusdem Ciceronis, cuius fuit consolatio? non ne potuit Cicero in procemio se excusare, quemadmodum in procemio libri primi de Oratore se excusauit de commentariolis suis inchoatis, atque rudibus, qui sibi puero, aut adolescenti exciderant? nonne potuit etiam sub persona Catonis non nominatim, sed in uniuersum, eam adhibere excusationem, ut diceret, in consolationibus, ubi agitur de conditionibus æta tum, solere senectutem uituperari, sed id fieri, ut causæ seruitur, uera autem omni laude esse dignam; ut scilicet prudens lector, qui, & consolationem, & illum dialogum esse Ciceronis non ignoraret, quod illa uerba tenderent, posset animo comprehendere? Quid? quod idem negat, fuisse ullam purgationem necessariam, quia defensio Catonis accusationi Ciceronis non repugnauit? Id fortasse uerum, si de uero agatur Cicerone, quem nusquam appetet senectutem in sua accusasse consolatione, etiam si miserias humanæ uitæ deplorauerit; quod alijs multis argumentis, quam incommode ingrauescentis ætatis ex Axiocho uel Platonis, uel Aeschinis (Diogenes enim Axiochū esse huius, non illius ostendit) repetitis, potuisse facere uidetur; quemadmodum fecit Plinius in procemio libri septimi, ubi miserias hominum nulla senectutis habita mentione recenset; cuius loci, quamuis notissimi, uerba omnia placet hic recitare, ut intelligatur, quot, & quantæ miseriae possint commemorari etiam sine senectutis commemoratione. Hominis, inquit, causa uidetur cuncta alia genuisse natura, magua, & sœua mercede contra tanta sua munera, ut non sit satis æstimare, parens melior homini, an tristior nouerca fuerit. Ante omnia unum animantium cunctorum alienis uelat opibus: ceteris uariè tegumenta tribuit, testas, cortices, corria, spinas, uillos, setas, pilos, plumam, pennas, squammas, uellera. Truncos etiam, arboreisque cortice, interdum gemino, à frigoribus, & calore tutata est. Hominem tantum nudum, & in nuda humo, natali die abiicit ad uagitus statim, & ploratum, nullumque tot animalium aliud ad lachrymas, & has protinus uitæ principio. At Hercule risus præcox ille, & celerrimus ante quadragesimum diem nulli datur. Ab hoc lucis rudimento, quæ ne feras quidem

uatione multitudo. Quid erat igitur, quod de re confessam multa notarentur? Accedit, quod eam rem obseruauit non tam quam necessariam, quæ perpetuo seruaretur, sed ut uerisimile, quæ plerunque ita se haberet apud Ciceronem, maximè uero de libro consolationis, cuius sententias cum oblata est occasio commemorandi, solitus est mentionem facere eius ipsius libri, ut exemplis probauit. At Cicero non potuit scribere, Quod vetat Chrysippus, ut in consolationis principio scripsimus: quia hic non nominat Chrysippum, sed sapientes, quæ vox cadere in alios etiam poterat, quam Chrysippum. in quos alios cadere, si sententia erat Chrysippi? praterea, cur non potuit significare, illam sententiam positam in principio fuisse Chrysippi, etiam si sapientes nominauerat pro Chrysippo? illud autem, Ut in consolationis principio scripsimus, noa referebam ad illud, Quodque vetat Chrysippus; sed ad illud, Ad recentes quasi tumores animi remedium adhibere; ut significa retur in eo principio scriptum esse, non Chrysippum uetus, sed recentibus morbis medicinam non adhibendam. Iam distinguat, quid, & quantum uelit, non repugnabo: dixi enim, me ea de re nolle contendere, ac laborare, quam ipse met alias concessi; ut potuerit Cicero (repeto enim uerba mea) de eadem re in duobus, uel pluribus libris agere, etiam sine ulla mentione repetitionis. Colligebam enim uerisimilia, ut plura coacceruata in re maximè dubia uim aliquam afferrent argumentationi; at non eram tam imperitus, ut putarem uerisimilia esse necessaria, & eodem modo semper se habentia. Nunc uenio ad secundam reprehensionem.

II. Scripferam, auctorem imitationis, cum ageret de conditionibus ætatum, mirè senectutem uituperasse; idque si fecisset Cicero, eum in libro de senectute, quem paullo post scripsit, se excusaturum fuisse, ubi ipsam senectutem magnis laudibus extulit, & à quattuor illis accusationibus defendit. Aper te confiteor, inquit Sigonius, me huius argumenti uim non perspicere; Si Cicero in consolatione senectuti maledixisset, post in Catone eam laudans excusationem adhibuisset, quippe non video, quomodo Cato, qui apud Ciceronem senectutem ab illis quattuor criminibus vindicauit, se excusare potuerit, quod Cicero eam in consolatione uituperasset. Ohe, desinat tandem

Int̄ nos genitas uincula excipiunt, & omnium membrorum nexus. Itaque feliciter natus facit, manibus pedibusq; deuinatis flens, animal ceteris imperaturum: & à supplicij uitam auspicitur, unam tantum ob culpam, quia natum est. Heu dementiam ab his init̄is existimantium ad superbiam se genitos. prima robotis spes, primutq; temporis munus quadrupedi similem facit. Quando homini incessus? quando uox? quando firmum cibis os? quandiu palpitans uertex, summæ inter cuncta animalia imbecillitatis indicium? Iam morbi, totq; medicinæ contra mala excogitatæ, & hæ quoque subinde nouitatibus victæ. Cetera sentire naturam suam, alia perniciatem usurpare, alia præpetes uolatus, alia uires, alia nare: hominem scire nihil sine doctrina, non fari, non ingredi, non uesci: breuiterq; non aliud naturæ sponte, quam flere. Itaque multi extitere, qd̄ non nasci optimum censerent, aut quam ocyssimè aboleri. Vni animantium luctus est datus, uni luxuria, & quidem innumerabilibus modis, ac per singula membra: uni ambitio, uni avaritia, uni mensa uiuendi cupido, uni supersticio, uni sepulturæ cura, atque etiam post se de futuro. Nulli uita fragilior, nulli rerum omniū libido major, nulli paucor confusior, nulli rabies acrior. Denique cetera animantia in suo genere probè degunt: congregari uidemus, & stare contra dissimilia: leonum feritas inter se non dimicat, serpentum morsus non petit serpentes: ne maris quidem belluæ, ac pisces, nisi in diuersa genera sœuiunt: at Hercule homini plurima ex homine sunt mala. Hæc ille. Videat ergo Sionius, quam firmum sit argumentum: illud; Cicero humana uitæ miserias in consolatione deplorauit: Igitur senectutis accusationem intulit. Sin de simulato agatur Cicerone, breuiter uideamus, an id uerum sit, quod dixit Sionius, nullam repugnantiam esse inter disputationem istius consolationis de senectute, & illam Ciceronis in Catone maiore. Quid ergo dicit iste? Senectutem esse incommodorum, ac miseriatur, languoris, calamitatisq; plenissimam, & hoc modo uoluptatis expertem. Audiamus uerba eius: sic enim facilius persuaderi nobis patiemur. Quid ego, inquit, de senectutis incommodis, ac miseriis loquar? quas plurimas esse, & grauissimas, & nomen ipsum languoris, calamitatisque plenissimum indicat, & adspectus ipse senum hominum patefacit. Quid Cicero sub persona Catonis? In eo senectutē

ne^ctutem fortunatam esse, quod à uoluptate, re uitiosissima, sit aliena; quod, si quid detur uoluptati, epulis modicis delectari possit; quod, si non habeat tantam titillationem, ne tantam quidem habeat desiderationem, quantam adolescentia; quod maximam capiat iucunditatem in ocio ex pabulo studii, atque doctrinæ, ex agricultura, ex auctoritate, qua prædicta est, quæ superat omnes adolescentiæ uoluptates; quod, si qua uitia uideatur habere, morositatem, anxietatem, iracundiam, difficultatem, illa sint morum uitia, non senectutis. Quid præterea iste similatus? Miseros esse senes, quia corpus habeant infirmum: eius enim uerba sunt; Sénem uidere trementem, incuruum, canum, imbecillum, infirmum. Quid Ciceronianus Cato? Senum miseriam nullam esse, si uires adolescentium non habeant, quemadmodum ne adolescentum quidem, si non taurorum, aut elephantonum; atque, si ulla miseria senectuti accidat propter defectiō nem uirium, id adolescentiæ uiciis effici sœpius, quam senectutis; si que multi senes sint plus nimio imbecilles, id non proprium senectutis esse uitium, sed commune inualetudinis. Addit ille, Ex eo manare quoque senum miseriam, quod non procul absint à morte. Id enim significatur his uerbis? Quid est aliud senem uidere, quam cernere morientem uiuum, aut uiuentem mortuum? Addit hic, Ne ob id quidem miseris esse senes, quod non procul absint à morte, quæ omni ætati est communis, quæ habenda est in bonis, quæ non timenda, quæ ex animorum immortalitate affert felicitatem. Postremò ille, Magna esse senectutis miseriam, quod auocet à rebus gerendis. Sic n. apud illum legitur; Ac, si non nullis uisum est, magnam esse senilis ætatis consolationem, prudentiam usū rerum quæsitā. quæ illius ætatis propria est; eosdem illos fateri oportet, ex eo ipso fonte manare etiam ad senes non minimum doloris, atque molestiæ. Qui enim se prudentem, rerumque agendum peritum agnoscit, cur non doleat, quæ optimè intelligit, præ ætatis uitio optimè etiam perficere non posse? &, si patriam diligat, cur non angatur, quod, quam consilio iuuat, opera etiam iuuare non possit? eò que maior prudentium dolor est, quod optimorum cōsiliorum fructum nulla alia ratione percipi posse, quam, si optime ad exitum perducantur, intelligunt. Quod nisi vir optimus, patriæq; amantissimus ad agendum accedat, prorsus

fus inania sint futura. Hic uero, senes sat habere, si ea agant, quæ senibus conueniunt, quæque uel infirmis corporibus animo tamen administrantur. Nunquam mihi auctoritate sua persuadebit Sigonius, hæc inter se conuenire. Quod si Cicero causæ suæ seruiuisset, ut modò senectutem uituperaret, & accusaret, modò laudaret, & defenderet, mihi cerce uerisimile est, eum aliqua excusatione fuisse usurum, ut fecisse in Lælio notaui, & quidem usurū, ut superius dixi, aut in procēsio, quod in huius modi quæstionibus esse separatum, & omnia complecti potest, aut per occultam quandam significationem: ut occulte quæ significasse hic egregius imitator dialogum de senectute potest existimari, qui, ut legerit Ciceronianam in senibus prudenter commendationem, uidetur uoluisse Ciceroni respondere illis uerbis; Ac, si non nullis uisum est magnam esse senilis ætatis consolationem, prudentiam usū rerum quæsitam, & quæ se quuntur, quibus ostendit, senes quidem esse prudentes, sed dolere, & angī, quod quæ prudentia dictat, efficere non possint. De ea uero sententia, Quia communi, & præcipua hominis conditione non uteretur, aliorum, qui ipsam reprehenderunt, non meum est respondere. Sequitur cauſa de multis Ciceronis locis, cum parua mutatione, & magna plerunq; depravatione in simulatam Consolationē insertis, qui ad tertiam Sigonii pertinent reprehenſionem.

III. Conatur enim demonstrare, rectissime factum esse, ut historias, ut fabulas, ut uersus, ut sententias multas Cicero repetuerit. Quod ne ego quidem negauis: sed tantum obieci, multa fuisse leuiter immutata, & plerunq; depravata. De quo si quis dubitet, is mea audiat uerba superius quoq; recitata; Sed, si id aliquem non mouet, quod potuerit Cicero de eadem re in duobus, uel pluribus locis agere, etiam sine uilla mentione repetitionis: at saltem mouere debet locorum cum parua mutatione, & magna plerunq; depravatione multitudo. Id vt apparet, multa ante lectorum oculos proposui, ex quorum collatione facile cuiq; posse patere arbitrabar, quanto esset imitator Cicerone inferior. Quod quoniam tantum abest, vt Sigonius confiteatur, vt potius istam consolationem, si cum multis Ciceronis libris conferatur, aut paribus, aut clarioribus orationib; luminibus illustratam esse contendat; danda opera est, ut,

id,

id, quale sit, intelligamus. Ac excusat quidem Sigonius in Cicerone carundem rerum aliquot verbis paullulum immutatis repetitionem, quod repugnare illi admirabili ingenij amplitudini, ac singulari verborum copiæ videtur, de qua sic ipsum loquentem, & gloriantem inducit; Quod factitare Demosthenem obseruauit, vt eademmet uerba, quoties apte caderent, adhiberet, id nunquam in animum induxi, vt facerem: quod ea res miram ingenij tenuitatem, & nimiam verborum inopiam indicaret; quibus ego sic abundauit, ut C. Cæsar me copiæ inventorem, ac principem beue de nomine, ac dignitate populi Rom. meritum appellari. Præterea uult eum in hoc libro se met superasse, & ornatiorem fuisse, quam in ceteris libris: & tamen quandoque eum purgat, quod ipse præ doloris magnitudine fuorum dicendi præceptorum memoriam abiecerit. Ego uero affirmo hunc ipsum imitatorem Ciceronelonge inferiorem fuisse in historijs, fabulis, uersibus, sententijs imitatione exprimendis. Neque uero omnia perpendam, quæ in meo iudicio narrata sunt, quorum pleraq; facis patent: sed præcipua tantum quædam examinabo, quæ à Sigonio quoq; excusâ sunt.

Quid ergo? nonne deterius, quam Cicero in prima Tuscul. eos commemorauit, qui mortem non timendo fortissime occubuerunt? Cicero enim scripsit cum Latinis decertantem partem Decium, cum Etruscis filium, cum Pyrrho nepotem, se hostium telis obiecisse: imitator uero, Decios cum Latinis pro patria dimicantes se se hostium telis obiecisse; quasi etiam Etrusci, & Pyrrhus essent Latini. Ille, Hispaniam uno bello pro patria cadentes Scipiones uidisse: hic, Scipionem vitam in acie iuuandæ patriæ causâ fortissime profudisse; quasi unus tantum Scipio, & non duo iter Poenis uel corporibus suis obstruere uoluerint. Ille inter ceteros Gracchum etiam nominauit: hic prætermisit. Quid ad hæc Sigonius? primum, quomodo hic scripsit, eodem etiam in secundo de finibus fecit, ut Latinos nominaret, & primo de diuinatione, & Valerius libro quintæ. Deinde Decius filius in Etruria quidem pugnauit, sed cum Gallis, non cum Etruscis, ut aperte scribit libro decimo Liuius. Præterea caueant, quæſo, ne hanc rationem argumentationis inducant; Hic liber mendoſam ex aliqua parte habet histo-

historiam, ergo non est Ciceronis, ne fortasse mox confiteri cogantur, paucos libros existere Ciceronis, quod in plerisque eiusmodi resideat aliquid, quod eo modo reprehendi posit. Inde si imitator tantum in hanc scriptionem studii, ac diligentiae contulit, ut duo etiam illorum iudicio ex Plinio uerba Ciceronis expresserit, non uidetur uerisimile, eundem mox tanta incuria extitisse, ut locum insignem Tusculanæ de Latinis, atque Etruscis omiserit. Denique fortasse, ut Scipionem, non Scipiones dixit, & Gracchum præteriit, quem alio loco commemoravit: sic Decium quoque, non Decios scripsit, ac in sua oratione addidit, dempsit, mutauit, prout animus tulit. O mirum ingenii acumen. At Cicero in secundo de finibus, & primo de diuinatione, & Valerius libro quinto Latinos nominarunt, Etruscos omiserunt, quia de uno P. Decio patre in illis locis, quos citauit Sigonius, non etiam de filio egerunt. Ac tametsi Decius filius in Etruria non cum Etruscis, sed cum Gallis pugnauit: tamen quia in Etruria illud bellum Samnites, Galli, Etrusci, & Umbri contra Romanos communibus armis gerebant, non est mirum, si Cicero pro Gallis nominauit Etruscos, apud quos illud ipsum bellum gerebatur. Et, quemadmodum non uidetur ualere hoc argumentum; Hic liber mendoſam ex aliqua parte habet historiam, ergo non est Ciceronis: ita hoc ualere potest; Hic liber non unam aliquam, ut liber de senectute, & oratio pro Murena, quod probat Sigonius, sed multas habet mendoſas historias, & non solum historias mendoſas, sed multa alia & in rebus, & in uerbis uitiorum genera: ergo Ciceronis existimari non debet. Et, quemadmodum aliis in rebus multis in curia usus est magna: sic uidetur uerisimile eum esse negligenter potuisse in loco insigni Tusculanæ exprimendo. Et Scipionem, non Scipiones, dixit cum aliquo suo errore. Et Gracchum præteriit non sine negligentia. Et, si legatur Decius, non Decii, sequentia uerba non congruent in hunc modum; Decius cum Latinis pro patria dimicantes se se hostium telis cibiciebant. Quod si non modo illa uox Decii immutetur, sed etiam dimicantes, & obiiciebant, ut legatur, Decius dimicans obiiciebat, nimia erit mutatio. Nunc ad fabulas ueniamus.

In Tuscul. legitur; Fertur etiam de Sileno fabella quædam, qui cum à Mida captus esset, hoc ei muneris pro sua missione dedisse

Dedisse scribitur, docuisse Regem, non nasci hominem longe optimum esse, proximum autem quamprimum mori. An uero, inquit Sigonius, quisquam deteriora illa putabit, quæ sunt in consolatione perscripta? Sileni quæ fertur fabula idem certe confirmat, qui captus à Mida missionem doctrina redemit; docuit autem regem, nunquam nasci optimum esse, sed celeritatem mortis proxime accedere. Profectò aut sum Leberide plane cæcior: aut recte video, hunc locum non posse dicendi splendore cum illo comparari. Illa enim melior est verborum coniunctio: hæc deterior. illa numerosior: hæc minus ad aures cadens: illa elegantior: hæc minus elegans. Conferamus membra. Fertur etiam de Sileno fabella quædam. Sileni quæ fertur fabula, idem certe confirmat. Nonne aures satis dijudicant, illud esse rotundius? Nonne melius est incipere à pæne priore tanto-pere apud Aristotelem in clausularum principijs celebrato, quam à spondeo? Nonne nitidior vox fabella, quam fabula? Qui cum à Mida captus esset. Qui captus à Mida. Illud certe, quam hoc plenius. Præterea quam eleganter illud? Hoc ei muneris pro sua missione dedisse scribitur, docuisse Regem. Quam frigide hoc? Missionem doctrina redemit: docuit autem Regem. Omittitur enim Hoc muneris, id est, Hoc munus, quod magnam habet elegantiam: & dicitur missionem redemit durissimule: ac pro verbo Docuisse ponuntur duas uoces, Doctrina, & Docuit. Doctrina, id est, ipso docendi actu. Dixisset Iulius Cæsar. Scaliger, Doctione, voce ab ipso formata per similitudinem: quia Cicero dixit Rectionem. Non nasci homini longe optimum esse: proximum autem quamprimum mori. Nunquam nasci optimum esse: sed celeritatem mortis proxime accedere. Ibi exprimitur Homini, hic simpliciter, Nunquam nasci. In fine autem clausularum laudatur magis iambus alternis aptus sermonibus, quam pæn prior, incipiendis, non finiendis clausulis accommodatus, vt docet Aristoteles libro tertio Rhet. Existimo igitur melius Ciceronem, deterius imitatorē eam fabellam expressisse. Item ibi scriptum est; Simile est quiddam in consolatione Crantorū. ait.n. Tirenæum quendam Elysium, cum grauiter filij mortem mæreret, venisse in Psychomantium quærentem, quæ fuisset tantæ calamitatis causa. huic in tabellis tres eiusmodi uersiculos datos.

Ignaris homines in vita mentibus errant.

Euthymus potitur fatorum munere læto.

Sic fuit vtilius finiri ipsiq; tibiq;

In consolatione uero, inquit Sigonius, ut breuius, sic quodammodo elegantius, Sed Crantor noster patri filij mortem ægerrime ferenti responsum ait datum esse in Psychomantio, filio suo bene, beateq; esse, vtiliusq; futurum fuisse, si etiam pater pari ratione fatis concessisset. O mirum ingenium, vere oratorium, quod etiam humilia extollit. Ut breuius, sic quodammodo elegantius? quæ nam est ista maior elegantia? An uero quisquam erit alius præter Sigionum, quem magis ex ingenio, quam ex animi sententia loqui arbitror, qui dicat hoc, quam illud elegantius esse? Breuius quidem hoc, sed non elegantius, ubi etiam de latinitate, nedum elegantia dubitatur: illud uero illustrius, dilucidius, suauius.

Quod ad versus attinet, in Tusc. sic legitur; Nec tam flebiliter illa canerentur.

Hæc omnia vidi inflammati:

Priamo vi vitam euitari:

Iouis aram sanguine turpari.

Notaueram mutatam esse vocem euitari in vocem auferri. Sigonius id conatur defendere in hunc modum; Quid? nonne idem alias hoc quoq; fecit, & quidem ita, ut dubitari de virtute haud possit? Nam in secundo de finibus versum Sophoclis recitauit, Quod eiulatu, questu, gemitu, referens ad saxum: in Tusculana vero secunda, Qui eiulatu, questu, gemitu, referens ad Philoctetam. Neq; vero solum hac libertate vsus est in alienis, sed etiam in suis. Siquidem in Pisonem dixit; Concedat laurea laudi: at de officijs, Cocedat laurea linguae. Respondeo, doctissime Sigoni, hæc non esse similia: quia non sunt depravata, sed ad rem Ciceronis accommodata: illud vero depravatum Auferri, pro Euitari. Nam præter quam quod verbum euitari grauius est antiquitatem redolens pro Eripi, si dicitur auferri pro euitari, tollitur pulchritudo similiter definitum in duabus syllabis, Inflammari, Euitari, Turpari; quam figuram ille Poeta adhibuisse ad illustrandum videtur.

Ac multas quidem sententias imitator leuiter immutavit, & aliquantulum depravauit: ex sententia vero Sigonij quædam

dam meliora fecit, atq; inter cetera illud, quod est in prima Tuscul. ex Apologia Platonis; Necessè est enim sit alterum de duobus, ut aut sensus omnino mors omnes auferat, aut in aliud quendam locum ex his locis morte migretur. Quamobrè siue sensus extinguitur, morsq; ei somno similis est, qui non nunquam etiam sine visis somniorum, placatissimam quietem affert: dij boni, quid lucri est emori? aut quam multi dies repe riri possunt, qui tali nocti anteponantur, cui similis futura est perpetuitas omnis consequentis temporis? quis me beatior? si uera sunt, quæ dicuntur, migrationem esse mortem in eas horas, quas è vita excesserunt, incolunt; id multo iā beatius est. Hæc tota sententia in consolatione sic expressa est; Necessè est aut sit alterum de duobus, ut aut sensus penitus oēs mors auferat: aut in aliud quendam locum ex his locis morte migretur. Quod si morte sensus extinguitur, obitusq; noster ei somno similis est, qui non nunquam è sine uisis somniorum placatissimam quietem affert; quid lucri est emori? aut quo d' oīno tēpus reperiri potest, quod ei tempori anteponatur, cui similis futura est perpetuitas omnis consequentis ætatis? Si migrationem malimus esse mortem in eas horas, quas è uita profecti incolunt; quid optabilius, &c. Hic uero, inquit Sigonius, eadem ad uerbum omnia: sed illud, ut dissimilius, sic ad latinæ linguae consuetudinem aptius; Quod si morte sensus extinguitur. Quorsum enim illud, siue? Quis Latinorum unquam dixit? Siue, fin. At primum ne eadem quidem sunt ad uerbum omnia, etiam si facta sit leuis mutatio. præterea nonne illud uidetur mirum, quod optimus Latinitatis auctor aberrasse à latinæ linguae consuetudine significetur? Cur non potius excusat, quod si illud esset uitium, Platonis uitium esset, cuius uerba idem sonant? Solent enim auctores aliquid incipere, & postea, aliquot interie citis, illud prius deserere, & aliud sequi; quemadmodum fecisse Cicero uidetur libro tertio de finibus in hunc modum; Ceteræ philosophorum disciplinæ (omnino alia magis, alia minus, sed tamen omnes, quæ rem ullam uirtutis expertem aut in bonis, aut in malis numerant) eas non modo nihil adiuuare arbitror, neque affirmare, quo meliores simus, sed ipsam de prauare naturam. Quomodo enim illa nexa sunt, Ceteræ disciplinæ, eas non arbitror? Sed factum est, ut dixi. Sic apud Plato-

nem,cum si^{tum} esset, Siue ergo nullus remanet sensus, & multa interiecta essent, postea desertum est illud siue, quod alterū requirebat, & dictum, Sin autem mors est tamquam transmigratione quædam hinc in alium locum,& quæ sequuntur. quod Ciceronem uoluisse exprimere puto , cum Platonis uerba sub persona Socratis latine conuerteret ; imitatorem autem noluissse,quia nulla habita mentione nec Socratis , nec Platonis , illa uerba,quamvis paullisper immutata, sua faciebat. Quod si nō recipiatur,cur non potius librariis, quām Ciceroni id uitii tribuitur? cur non facil mutatione mendum, si modo mendum est,tollitur,ut legatur uel,Si sensus,pro, Siue sensus,ucl, Siue uera sunt,pro, Si uera sunt? Cur tam facile imitator etiam, si diis placet,in latinæ candore Ciceroni præfetur, cui ne dignus quidem foret, qui matellam porrigeret? Atque si uera, & probabilitia afferimus,cur dicimus oblatrare?non enim oblatramus,quia nondum furem uidimus, sed adhuc modestissimum aduersarium , cui potius gratiæ sunt habendæ, quām crimina obicienda.

De locis autem aliorum scriptorum imitatione expressis tres adduxeram Mureti; quorum duos priores Sⁱgonius ne attigit quidem: sed tantum nulla ipsius Mureti facta intentione, fortasse,ne meum errorem detegret, qui putarem Muretum, aton Cicetone modum imitandi dedisse, imitatio nem primi loci cum pulcherrimo Ciceronis loco contulit, illamque huic anteposuit. De postremo autem dici non potest, quantas Tragœdias excitaauerit. Mihi uero, ut opinionem meam tuear, uerba imitatoris cum uerbis Mureti sunt conferenda, & uidendū, uter vtrum supereret. Quod si imitator apparuerit Mureto inferior, non erit dubitandum, quin multo magis ab ipso Cicero ne latinæ eloquentiæ prope deo supereret. Muretus igitur sic scribit; Quid iam illos turbines, illas procellas, illas tempestates ciuilium diffensionum commemorem? Imitator sic; Quid fugam Marii, quid cetera, quæ in illius discessu acciderunt, maxime luctuosa, summeque miseranda commemorem? quid redditum illū sanguinarium, cuius ex recordatione nemo est, qui non intimis sensibus exhorrescat? Non nominat ille Marii discessum, nec redditum , quia ad rem suam non pertinet: sed tantum illos turbines, illas procellas, illas tempestates ciuilium diffensione-

Tensionum, & quidem præclariss, quām imitator, quæ in illius discessu acciderunt maxime luctuosa, summeq; miseranda, & redditum illū sanguinarium. Mur. Quibus non unus , aut alter præclarus, & salutaris Reip. ciuis perculsus est, sed ipsi acriui, ipsa millia immortalitate dignorum hominum nefariis hominum conseleratissimorum manibus trucidata iacuerunt. Imit. Quām multos ex illa Reip. tempestate commemorare possumus innocentissimos homines, atque optimos , ut acerbissimam calamitatem effugerent, libertatem morte quæsisse? Non solum illud elegantius, quām hoc, sed etiam probabilius. Mur. O acerbum illud, & uel Romani nominis hostibus miserabile spectaculum . Imit. O acerbum, ac nemini non pœnitendum Reip. statum, conditionemque uiuendi. De uoce pœnitendum plura etiam, quām in priore iudicio nostro scripsimus, alias dicemus. Mur. Cum passim per vias immanium gladiatorum in principes ciuitatis debacchabatur furor. Imit. Tenemus enim memoria, aut saltē ex patrum scriptis accepimus , crudelissimam omnium cædem illo tempore esse factam . Nonne illud rem ponit magis ante oculos , & est illustrius? Mur. Cum qui aliquando Reip. præsidio fuerant,eis nullum in ciuitate præsidium reperiebatur Imit. Cum eos ipsos, qui Remp. suo labore, suoq; sanguine auxerint, iuuerint, seruauerint, nusquam tutos, nihilq; magis, quām propinquorum manus, ac gladios timentes, horrescentesq; uideas. Non ne illud & breuius, & rotundius ? Mur. Cum quorum eloquentia ipsis gloriæ, aliis admirationi, Reip. saluti fuerat, eorum ex illis ipsis rostris , è quibus tā sāpe concionati erant, incisis ceruicibus capita sanguinolenta pendebant. Imit. Trucidatos bonos uiros, & ciues, incisas eorum cervices, in Rostrisq; positas, qui multorum ciuium salute & dignitatem eloquentia peperissent . An uero quisquam hæc uerba illorum numerosæ eloquentiæ anteponet? Quod si præclariss, elegantius, probabilius, magis latine, illustrius, breuius, rotundius, numerosius, omnino melius loqui uidetur Muretus, quām iste imitator; quid censemus est de limine, & lumine, & fulmine ipsius eloquentiæ Cicerone? Tametsi ergo Sⁱgonius maximo ingenio, atque industria sua res minimas reddere maximas, ut optimi oratores solent, & caussam in feriorem, instar Protagoræ, efficere superiorem potest: tamen

nunc

Epimenidem Cretensem Aristoteles libro tertio Rhetorica scriptum reliquit, qui non de futuris, sed de præteritis, quæ obscura essent, diuinationis auctoritatem habuit. Hac ipsa de re uel ipse mecum sentit Siganus. Singulari nimirum, inquit, uel diuino potius homine nobis opus est, qui tam longe respiciat, ut quæ facta sunt, omnia præstanti quadam animi uitæ, atque uirtute conspiciat. Qui si fuit aliquis unquam, Cres ille Epimenides, si fabulis credimus, exitit. Non nostrorum temporum, non nostrorum morum, non huius occupatae uitæ, non huius imbecillæ ætatis, est tanta ad præterita subodora fragmenta sagacitas. Hæc ille; qui tametsi alibi confitetur, se cum Patritio uaticinii expertem esse: tamen hoc in loco non recusat, quominus ipse habeatur ille diuinus homo, illaque sagacitate præditus, tam acriter fouens ordinem à se excogitatum, qui, qualis sit, alias considerabimus. Tantum confitetur se quædam fragmenta non præmonstrasse, eoque argumento ostendere conatur, cum sua auctoritas, suumque iudicium non omnino retentum sit, sed alia etiam adhibita fuerint, quæ ipse non uidebit, librum esse Ciceronis. Sic enim argumentatur; Non sit Ciceron, quia Siganii auctoritatem, iudiciumque secutus est; ergo Ciceron erit, si quod fragmentum Ciceronis expresserit, quod non præmonstrari Siganus. At si hoc fatentur, prout fateri necessario debent, habemus, quod uolumus. Egregie. Quid? si consecutionem negemus, & non omnino necessarium habemus, quod ipse uult, confiteri. Nam uerum est antecedens, non esse Ciceronem, qui eum Siganii ordinem retinuerit, quem ipse prorsus, & omni ex parte uere non potuit diuinare, etiam si ex ingenio formauerit: non tamen sequitur, imitatem fore Ciceronem, si seruato præscripto Siganii aliqua interiererit, quæ post illas primas eius, & Patritii obseruationes fuerint obseruata; quemadmodum idem Siganus illud interiectum notat, quod commemorat Seneca de tranquillitate uitæ; Hoc si uerum est, dubitari non potest, quin, quemadmodum populus Rom. in muneribus publicis inuisos habet gladiatores, qui omni modo uitam impetrare cupiunt, fauet iis, qui contemptum eius præseferunt, itidem Di immortales, &c. Sic enim legitur apud Senecam; Gladiatores, ait Cicero, inuisos habemus; si omni modo uitam impetrare cupiunt: fauemus, si contemptum eius

nunc mihi non persuadebit, uerba istius imitatoris; quæ ne Mureti quidem cum elegantia possunt merito comparari, illu strissimo etiam loco librorum Ciceronis de oratore esse antefixa, & tantum eloquentia lumen continere, ut potius diuinitus, quam humanitus, prolata esse uideantur. Quod uero attinet ad ultimum Mureti locum, (nihil enim attinet de secundo dicere) non nego Muretum quoq; imitatum fuisse Ciceronem in secundo de finibus: sed illud, uniuersas funditus ciuitates, quod ex Mureto expressum est, scribente, Integras funditus ciuitates, non autem ex Cicerone, qui uocem, funditus, non habet, nihilq; loquitur de ciuitatibus, fecit, ut putarim, auctorem consolationis imitatum esse Muretum, non Ciceronem. Quid erat igitur, vir clarissime, cur tantas mihi Tragedias ea de re excitares? Cur etiam Ciceronem ab inferis excitatum contra me loquentem induxisti, qui semper eum tam ueneratus sum, quam qui maxime? Iam uenio ad cauſam fragmentorum.

III. Scripsi tria de fragmentis insertis, imitatem ea illo ordine intexuisse, quo digessit Siganus, quædam interposuisse, quæ non esse Ciceronis uidentur, nonnulla addidisse, alicui fragmento repugnantia: quæ qualia sint uideamus.

Evidem Siganum tanti semper feci, quanti debeo, uirumq; ingenio, ac doctrina præstantissimum existimauit: nunquam tamen in animum induxi, eum esse eiusmodi, qui tamquam uates fragmenta diuersissimis in locis, à scriptoribus maxime diuersis citata, quo ordine in libro, qui nondum extaret, posita essent, potuerit diuinare. Nam ea fere omnia colligere, difficile quidem est, & non nisi eius, qui omnes ueterum libros, quos habemus, summa diligentia voluntat; sed tamen eiusmodi, qd laboribus, & vigilijs posse effici videatur, præterea in maxima eorum confusione aliquem ordinem excogitare, & aliqua priora, alia posteriora, quædam media ex ingenio facere, doctissimi, ac perspicacissimi uiri esse, qualem Siganum confiteor, non est dubitandum. At, qui ea ordinet, ita, ut in nullo prope eorum, quantum ad ipsum ordinem, errat, & quam liber amissus continuationem, seriemque rerum habuerit, perfecte, absoluere, & portare, aut certe diuinitus afflatum existimo; qualem fuisse

Epi-

eius præ se ferunt. Quid? si cōmonstrem clarissimum lo-
cum, unde & Seneca, & imitator iste huiusmodi sententiam ac-
ceperit, putabitur ne hoc esse fragmentū Consolationis, quod
ne Seneca quidem dicit se sumptis ex consolatione, quodque
unde sumptum sit, potest luce clarius apparere? Audiamus uer-
ba illustrissimæ pro Milone orationis; In gladiatoriis pugnis, &
in infimi generis hominum conditione, atque fortuna timidos,
& supplices, &, ut uiuere liceat, obsecrantes, etiam odisse sole-
mus; fortes, & animosos, & se alacriter ipsi morti offerentes,
seruare cupimus; eorumque nos magis miseret, qui nostram
misericordiam nō requirunt, quām, qui illam efflagitant. Quod
autem ait, alterum fragmentum neque ab ipso, neque à Patri-
tio demonstratum, citari à Petrarcha libro decimo Senilium, ue-
reor, ut illi possim concedere. Sic enim legitur in Consolatio-
ne; Nemo suorum funera experitur, cui non aduersa multa an-
te contigerint. Cur igitur grauiorā, uel certe æque grauia for-
titer passus, cum maxime occalluisse, & ad dolorem nouum
obduruuisse deberet, despondeat animum, seque mcerori tra-
dat? Apud Petrarcham; Me tenuit meæ respectus ætatis: nam
cum virum, tum præcipue senem. flere mortalia, turpe est,
quem tempore, & casuum obseruatic ne similium contra om-
nes insultus obduruuisse (vtar peculiaribus Tullij verbis) atque
occalluisse conueniat. Nam primum illa sententia de grauio-
ra passis est contrita, & à multis usurpata, vt non magis possit
dici desumpta esse ex Ciceronis consolatione, quām ex Virgil-
lio, uel alijs. Deinde tametsi Petrarcha affirmat, illa duo ver-
ba Occalluisse, atque Obduruuisse, peculiaria esse Tullij: ta-
men id potest facere, non, quia ipsa viderit in Tullij consola-
tione, cuius exemplar ei fuisse, nusquam appetet: sed, quia le-
gerit in alijs locis ipsius Tullij, ut Occallescere in epist. ad
Att. Obdurescere plurimis in locis, ut magis potuisse imitator
illa exprimere ex Petrarcha, quām ex consolatione Ciceronis
uideatur. Iam de nonnullis agamus inter illa, quæ sunt Cice-
ronis, interiectis.

Secundum fragmentum est ex Lactantio, Luendorum scelerum caussa nasci homines. In consolatione; Humanæ uitæ incomoda ita diligenter, & accurate expressit, ut quasi luendo
rum scelerum caussa nasci homines, & in hanc lucem ingredi,
possit

possit agnoscere. Notauit additam esse uocem Quasi ex Sigonio sic scribente, Miserias hominum mihi uidetur deplorasse, qui quasi luendorum scelerum caussa in hāc uitam prodierint. Notauit quoq; additum esse illud, Et in hanc lucem ingredi, tamquam glossema illius uocis Nasci. At Sigonius conatur de monstrare, huiusmodi uocem referri non ad illud, Luendorum scelerum, sed ad illud, Possit agnoscere, nec à se desumpta esse, etiam si ea usus sit, nempe ut doceret, se migrationem illā animoēum ex corporibus in corpora non probare, quam illi constituerunt, qui homines luendorum scelerum caussa nasci dixerunt, neq; enim illam cum fide Christiana conuenire, ut pluribus Lactantius in eodem loco differit. Addit, ut se purget, si deforme sit, se huic sententiæ adiunxit Quasi, etiam Ciceroni probro tribuendum esse, quod in Lælio peruerse Empedoclis sententiam recitauerit. Ego uero, libere ut dicam, quod sentio, illam explicationem subtiliorem, quām ueriorem existimo. Nam nisi uox Quasi referretur ad illud, Luendorum scelerum, perplexa nimis oratio esset, nec negaret Sigonius, posse eam sic referri, nisi defendere imitatorem uellet ab additione eius ipsius, quæ apud Lactantium non inuenitur, nec erat po-
nenda, si referenda esset ad illud, quod Lactantius non habet, Possit agnoscere. Sed uideat, an hoc sit explicare, & non sen-
tentiam distorquere, adeo q; imitatoris amicus est, ut defenden-
di eius caussa, uel in recensenda Ciceronis opinione intelligi-
velit, vocem Quasi de suo additam esse, propterea quod Chri-
stianus sit, id quod durum esse arbitror: vel vitio Ciceronis in
Lælio peruerse Empedoclis sententiam recitantis sūum ipsius
vitium excusat, quod ego nullum existimo; quasi vero id sit ex-
cusare, & non potius duos simul criminari. Præterea scribit,
vt Cicero ornandi caussa adiunxit de suo, Nec in hos scopulos
incidere vitæ, quod testatur Lactantius: sic postea, eum ornandi
gratia adieciisse, Et in hanc lucem ingredi. At Sigoni, pace
tuæ dixerim, id simile non uidetur, siquidem Cicero ad illud,
Non nasci longe optimum, adiecit, Nec in hos scopulos inci-
dere uitæ, ut caussam quodammodo afferret, cur esset optimū
non nasci, ne scilicet in hos uitæ scopulos incideretur. Nasci
uero, & in hanc lucem ingredi, fere idem uidetur, præterquām
quod non satis apposite illud adiectum uidetur, quia si luendo

rum scelerum caussa nascuntur homines ; potius in tenebras misericarum, quam in lucem felicitatis ingrediuntur . Septimi fragmenti sententia ita cohæret, ut ipsum integrum agnouerit Lactantius, & cum Lactantio Sigonius, atque Patritius . Cum autem multa interiecta sint, quæ interiçere necessarium non erat, notaueram inde fieri conjecturam posse, hoc opus Ciceronis non esse . Quarum rerum, inquit Sigonius, facilis sane est, atque expedita defensio, nimirum enim prætermisit Lactantius, quia caussam suam non adiuvabat, neque integrum paginam explicare sine aliquo disputationis emolumento uolebat Deesse Sigonius, Patritiusq; non sensit, quia uterq; expers uaticinij fuit, atque ipsi Lactantio credidit, auctor uero adhibuit, ut rationem redderet eius, quod dicere coepерat, se uelle exemplum ueterum in consecranda filia conjectari , & ut sermonis ad Tulliam conuersione inferret, & ut, quod Attico se factum ostenderat, solueret, de Tullia Græcis litteris , Latinisq; celebranda . Ultima uero fragmenti pars, quæ apud Lactantium imperfecte legitur, in consolatione est cum illustri accessione, & emendatione . Nunquam satis Sigonij ingenium admirari possum, qui tam subtiliter, ac copiose ratiocinetur . At quemadmodum, si Lactantius suis uerbis Ciceronis sententiam recensisset, ei quodammodo licuisset ea tantummodo commorare, quæ ipsi placerent, & relinquere, quæ ad rem suam non pertinerent: sic recitans propria eius uerba , si decurtata recitare voluisset, id mihi sine dubio uidetur aliquo modo fuisse indicaturus . Cum autem id non indicauerit, & omnia cōiunctim recensuerit, merito Sigonius, & Patritius putauit nihil interiectum, meritoq; ei credidit, quem ad unguem commorasse, id quod erat Ciceronis, nulla ex parte decurratū, uerisimile erat, auctor uero noua consolationis illa de suo interiecit , huiusmodi immutationibus delectatus . Nec necessitate habuit addere caussam, cur exemplū ueterum uellet conjectari: nam id oībus patet, ueterum uestigiis else insistendū, & ipsam ponere ueterum rōnem sufficiebat , Quòd si illum aīal consecrandum fuit, illud profecto fuit, nempe animal rationis, & diuinitatis particeps, qui vocatur homo . Nec necessaria fuit illa sermonis ad Tulliā conuersio . Neq; eo modo soluitur, qđ Attico promissū erat, sed solutum esse significatur . Nec ultima

pars

pars fragmēti in consolatione est bene aucta, & emēdata, immo potius deprauata . In meo aut Lactantio typis Aldinis impresso, illud non legitur, quod uulgo haberi Sigonius notat, Sicut profecto fuit . Atque si non legatur, ut apud Lactantium , Quòd si illum unquam animal consecrandum fuit , illud profecto fuit ; cuius loci sententia est, si alia animalia fuerint consecrata; multo magis eum honorem homini debitum fuisse : sed, ut in ista consolatione, Quòd si illum unquam animal consecrandum fuit, qualia multa consecraverunt Aegyptii, quod nullum profecto fuit: nimis discedet à uerbis, quæ recitat Lactantius, cuius auctoritati multo magis, quam huic controverso libro credendum arbitror, ut illa accessio, illudq; emendationis studium magis rei nouitatem mihi declareret.

Ad ultimum meum de fragmentis argumentum nihil profus respondet Sigonius, quod mihi breuiter repetendum uideatur, cum in eo solo tota uictoriæ spes constitui merito posse uideatur . Testatur enim Lactantius diuersum fuisse Ciceronē in consolatione tum ab aliis, qui alios consolati sunt, tum à se ipso in aliis locis, propterea quòd alii semper fortunam depresserint, unam uirtutem extulerint, & ipse semper fortunam à se esse superatam professus sit: at, cum charissimam filiam amiserit, uictum se à fortuna turpiter confessus sit . Age uero, quomodo turpiter, Firmiane, si primum quidem in suo de consolatione libro Ciceron tam graui accepto uulnere , plane dolore petculsus, atque afflictus, quod initio uiris quantumuis sapientibus solet euenire, nihil habuisset, quod diceret, nisi quod legitur in ista consolatione, Cedo, & manum tollo (cuius fragmenti, & aliorum omnium connexio fortasse non est ita celebris, ut dicit Sigonius) sed statim postea ostendisset, ut ex eadem apparet, se præceptis sapientiæ aduersus omnem fortunæ uim confirmatum, & filia consecrata, in celumq; recepta, tanta affectu esse uoluptate, ac lætitia, ut exultauerit, victorq; de fortuna triumphauerit ? Minime uero, uideatur respondere Firmianus, minime ita est, idque repugnat Ciceronis facto, qui omnino fortunæ cessit, & manum sustulit , nec statim postea ita resipuit, ut exultauerit, victorque triumphauerit de fortuna , sed fortunam rerum omnium dominam agnouit, seque ab ea profus superatum esse confessus est . alioquin ego ansam non habuiss-

X 2 sem

sem eius ipsius reprehendēdi, tāquām turpiter se gerentis, & m̄ serius, quām deceret, iacentis, si initio quidem dolore oppres-
sus cestisset aliquantis per fortunā, illico autem resipuerit, & de
fortuna triumphasset. Sic enim nec ab aliis, nec à se ipso in a-
lis locis, differret, qui fortunam deprimerebat, ut alii fecerant, seq-
eius uictorem esse, ut alibi professus erat, gloriaretur. Quid aī
doctissime Sigoni? credendum ne est Lactantio in eum modū
Ciceronis factum, eaq; de caussa ipsum reprehendenti: an spre-
ta Lātantii auctoritate, tamquām eius, qui non intellexerit, uel
noluerit intelligere, cum ille prius naturā humanā imbecillita-
te deiectus fortunā manus dedisset, deinde statim rationis sti-
mulis excitatus se fortunam uicisse gioriatus esset, eum potius
fuisse laudandum, quām reprehendendum; habere fidem debe-
mus isti imitatori, qui Lātantium delirare, & maleuolum esse
omnia in deterius trahētem, ista sua imitatione ostendit? Ma-
teriam uero Sigoni exaggerat fragmentorum. Quōd si nihil
aliud Rhetorica ad Alexandrum ab Aristotele ad Anaxime-
num traduxit, nisi fragmentum unum, nempe septuplex caus-
arum diuisio, quam Quintilianus Anaximeni attribuit; & nihil
aliud Rhetorica ad Herennium Cornificio tradidit, quām figu-
ra Traductio, cuius idem auctorem Cornificium fecit: multo
magis tam multa fragmenta à Lātantio, aliisq; prolatā, ius cō-
stituere Ciceronianæ industriæ debeant. Ego uero, ut de frag-
mento Anaximenis taccam obseruato primum à uiro erudi-
tissimo Petro Victorio, obiter aduersus Sigoniū exaggeratio-
nem dico, quod alias quoque scripsi, Quintilianum non unā
figuram Traductionem, sed res quindecim de Cornificio notaſ
se, quā omnes de auctore ad Herennium uera sunt; primo
loco, enthymema, quo pugna constat, à Cornificio contrarium
appellari: secundo, uocem liberam, atque effrenatiorem ab eo-
dem licentiam nominari: tertio, in multis casibus positum tra-
ductionem nuncupari: quarto, definitionem inter figurās uer-
borum connumerari: quinto, interrogationem: sexto, ratioci-
nationem: septimo, subiectionem: octauo, translationem: nono,
occupationem: decimo, sententiam: undecimo, membrum: duo-
decimo, articulum: decimo tertio, interpretationem: decimo
quarto, conclusionem inter easdem figurās recenserī: decimo
quinto integrum librum de elocutione ab ipso Cornificio con-
scriptum

scriptum esse. Dixit igitur Sigoniū, unam figuram Traductio-
nem ex Cornificio à Quintiliano citatam esse, non, quōd alia
loca non uiderit uir in litteris oculatissimus, sed, ut cauſae suā
seruiret. Extrema de rebus restat reprehensio, quā ad exem-
pla pertinet clarissimorum uirorum, quam pro uiribus breui-
ter refellam.

V. Obseruaueram imitatorem ordine p̄opstero prius e-
gisse de Xenophonte, quām de Pericle, quemadmodum etiam
prius de Q. Fabio, quām de Puluillo, cum tamen uerisimile sit
ex ordine temporum, primum Periclem, deinde Xenophontē
laudatum fuisse, ut Puluillum quoque ante Q. Fabium, quo ipso
ordine uel Di. Hieronymus nō nominauit. Adhuc autem mihi ui-
deor satis Sigoniū ictibus restitisse. Vtinam in hoc extremo re-
rum congressu, quo de historiis decertamus, consistere in meo
pr̄äfido possim. Quid ait igitur summus nostrorum tempo-
rum historicus, omnisiq; historiæ tum græcæ, tum latinæ claris-
simum lumen Sigoniū? Neque Cicero hoc loco temporis or-
dinem, sed disputationis seriem, nexumq; respexit, ut qui non
historiam, sed consolationem scribere, nec facta, sed præcepta,
litteris prodere instituerit. Nec S. Hieronymus exempla Cice-
ronis exacte sibi recitanda, sed rem tantum indicatidam consti-
tuit. Neque omnia. Neque eodem ordine protulit. Neque
idem, cum Periclem proposuit, eum se à Ciceronē sumplisse,
sed à Græcis ostendit. O strenuissimum litteraturæ militem,
immo potius præstantissimum ducem, qui tam multos ictus
una continuatione iuſigat. At, quod attinet ad temporis ordi-
nem, quamvis historia non scribatur: tamen ita distinguendū
videtur, ut dicatur, aut disputationis seriem, nexumq; ferre,
ut is ordo seruetur: aut non ferre. primo modo eum seruan-
dum esse, ut fecit Cicero post reditum ad Quirites se ipsum cō-
parans primum cum P. Popillio, deinde cum Q. Metello, po-
stea cum C. Mario: ut fecit in prima Catilinaria, commemo-
rauit primum P. Scipionem (nam quōd prius non nominauer-
it Q. Seruiliū Ahalam, ex nimia antiquitate se excusauit) de-
inde L. Opimium: inde C. Marium: ut fecit item pro Milone,
nominans primo loco Ahalam Seruiliū, secundo P. Nasicam,
tertio L. Opimiū, quarto C. Marium, quinto senatum Rom.
in cōſulatu ipsius: ut fecit pluribus aliis in locis. Altero modo
eum

eum omitti posse, ut omisit idem pro Milone, tunc cum P. Africanum ante Abalam Seruilius, & ceteros commemorauit, hac scilicet ratione, quod, cum dicto alicuius grauisimi uiri probare uellet in ipsa de homine occiso quæstione, quandoq; iure factum esse defendi, P. Africani de Ti. Graccho responsum ad id uisum est maxime accommodatum, priusquam aliorum facta celebrarentur; eaniq; distinctionem afferimus, non, ut semper ita faciendum esse, sed, ut plerunq;, contendamus, & idcirco notaueramus uerisimile esse, primum Periclem, deinde Xenophontem nominatum fuisse, quia plerunq; ita fieri solet. Iam uero cur disputationis series, & nexus non ferebat, ut ordo temporis non seruaretur? Nullam enim causam uideo, cur non potuerit Pericles in ea ipsa materia, quæ agebatur, ante Xenophontem nominari. Quod dicit S. Hieronymum exempla Ciceronis exacte sibi recitanda non constituisse: quo modo id nouit? Neque omnia protulisse: vnde apparet? Neque eodem ordine recensuisse: quis ei id aperuit? An vero, quia istam simulatam consolationem pro vera habet, tam tuto argumentatur? Mihi vero verisimile uidetur, S. Hieronymum Ciceronis studiosum, cum illa scribebat, habuisse p̄t manibus ipsius Ciceronis consolationem, & multo melius potuisse recensere omnia, quam iste fecerit imitator. præterea non dixi Di. Hieronymum à Cicerone sumpsiisse Periclem, sed Xenophonti p̄pōsuisse. Nec prorsus negati Harpagum, Dionem, Prexaspem ab ipso Cicerone cōmemoratos esse, sed quia huius modi consolationem suspectā habebam, scripsi id mihi certum non esse. Si ipse aliunde exploratū habet, proferat testimonia: si minus, non debet profecto tantū confidere istius consolationis auctoritate, nisi prius, cā esse Ciceronis, oībus p̄suadeat. Addit, mirū non esse, si meminerit Cœponis, Lepidi, & C. Cottæ, de quibus se dubitare significauit, cū Atticū consuluit, quia dubitauit re incognita: affirmauit perspecta: consuluit, cum hærebat: scripsit, cum exploratū habebat, quis nam deus ita factū esse ei declarauit? tantum ne credit isti imitatori, ut omnia, quæ ipse narrauit, pro certissimis habeat? Non est autem par ratio de L. Tubulo: nam libri de finibus nemini suspecti sunt, in quibus exemplum ipsius Tubuli, capto p̄ius consilio, ab Attico positum est: hic uero eam apud plerosque suspicionem habet, ut,

nisi

nisi appareat aliis auctoritatibus ea exempla fuisse à Cicerone celebrata, non tam facile ob unam istius imitationis auctoritatem id credi debeat. Fieri enim potest, ut uersutus imitator ea uoluerit recensere, ut ob rerum, quæ alibi non inuenirentur, nouitatem facilius lectores falleret. At Seneca, inquit Siganus, in sua consolatione Rutiliæ factum iisdem uerbis, quibus hic, prodidit, quod est firmissimum argumentum ad ostendendū, hunc librum Ciceronis esse germanum. Non est tam firmum, Siganus. Nam primum non iisdem uerbis, ut tu dicis, sed aliis prodidit. Verba Senecæ sunt in libro de consolatione ad Albinam matrem; Rutilia Cottam filium secuta est in exilium, & usque cōd fuit indulgentia constricta, ut mallet exilium pati, quam desiderium: nec ante in patriam, quam cum filio, rediit. Eadem iam reducem, & in Rep. florentem tam fortiter amisit, quam secuta est: nec quisquam lachrymas eius post elatum filium notauit. in expulso uirtutem ostendit, in amissio prudentiam. Nam & nihil illam à pietate deterruit, & nihil in tristitia super uacua, stultaque detinuit. Verba imitatoris sunt; Nihil iam Rutiliam miremur, quæ C. Cottam filium in exilium secuta, cum postea reuersum in patriam amisisset, nemo eam lachrymantem post elatum funus uidit. Deinde fieri potest, ut & Seneca à Cicerone hoc exemplum acceperit: non nego, etiam si id ex uerbis Senecæ non appareat, & hic imitator à Seneca sumpserit, quemadmodum etiam alia. Verisimile enim est, priusquam istam conficeret imitationem, eum inter ceteros Senecam legisse, qui eandem rem tractat. Quare vnde, quæso, ducis eam, quam tantopere iactas, argumenti tui firmitatem? Cum autē is pro sua sapientia multa assueratius statuat; ego pro imbecillitate ingenij mei, quæ in litterarum studiis sentio, cū opus est, explico, nec tamen (vtar enim verbis Ciceronis) quasi Pythius Apollo, certa vt sint, & fixa, sed vt homunculus vnuſ ē multis probabilitia coniectura sequens: vltierius. n. quò progressiar, quam, vt verisimilia videam, non habeo: certa dicent ij, qui & percipi ea posse dicunt, & se sapientes esse profitentur. ideoq;, vt in ceteris, sic quoq; in superioribus exemplis pertraetandi dubitanter egi, verisimilia quādam esse scripsi, nonnulla ita mihi videri, aliqua mihi non esse certum à Cicerone fuisse tractata, de quibusdam, incertum esse, quid Cicero statuet,

rit,

rit, me putare quosdam à Cicerone omissos esse: propterea quod in maxima opinionum uarietate, vix quidquam repériri arbitror, quod affirmari posuit, nihilque difficultius esse, quam veritatem attingere. Nam, tametsi grauisimus omnium auctor tradidit Aristoteles, animum humanum posse fieri omnia, quæ tenus scilicet omnium species recipit, nempe per intelligentiam ea, quæ intelligi possunt, & per sensum ea, quæ sensu comprehendendi possunt; hominemq; naturaliter scientiam desiderare (qd desiderium, quamvis omnium rerum sciendarum, cum sine dūbio naturale sit, superuacaneum esse haud videtur) tamen illud fortasse verum existimari debet, si animus in se, & sua simplici natura spectetur, ac respiciatur ea, quæ in vniuersum habetur, cognitio, non quæ rerum est singularum. Socrates vero, Democritus, Anaxagoras, Empedocles, nihil sciri putarūt idemq; Democritus veritatem in profundo demersam esse dixit: & Arcesilas ne illud quidem sciri posse existimauit, quod si bi excepserat Socrates: & ipse quoq; Arist. ignorantiam esse magis propriam hominis, quam scientiam, quandoq; testatus est: & Themistius scripsit, maiorem partem eorum, quæ scimus, minimam esse ad ea, quæ ignoramus; vt dicere cum doctissimo Mureto mihi liceat;

Vera immortales norunt. Mortalibus ægris
Si tenuis veri luceat aura, sat est.
Deniq; opinari nostrum est: at scire deorum:
Tolle procul fastus turba superba tuos.

Hoc igitur pulcherrimum sapientissimorum institutum dū consector, vt vix quidquam affirmem; ansam quidem præbeo Sigonio mei ipsius reprehendendi, tamquam nimis titubanter, ac timide agentis, nec satis mihi confidentis, vt ipse ait, quo iudicio prædictus sim (relinquo n.ei hanc gloriam, vt de argumētorū firmitate glorietur) sed non idcirco de victoria despero.

Adhuc autem me satis præstissem arbitror, quod initio promiseram, vt meas de rebus, quæ in simulata sunt consolatione conjecturas confirmarem, ac clarissimi reprehensiones aduersarij refellerem. primum enim ostendi, sententiam in principio istius consolationis positam contra præceptum Arist. sua ratione

ratione indigere, & quamvis probabilis esset, quod ab Hippo, à Platone, à Chrysippo approbaretur, tamen ei ratione addendam fuisse: sed illorum auctoritate minime probari, & falsam esse. Secundo loco docui vituperationem senectutis in hoc libro factam mire repugnare ijs, quæ in Catone maiore scripta sint. Tertio demonstravi, multa, quæ in Ciceronis libris legantur, fuisse in hunc translata, & leuiter immutata, ac plerunq; depravata, nonnullasq; historias, fabulas, uersus, tentias deterius commemoratas, ac Muretum quoq; (videte, quam rē sit antiqua) imitatione expressum esse, sed deterius expressum. Quarto Sigonianum ordinem in eodem libro perpendi; fieri non potuisse argumentatus sum, vt Sigonius omnia prorsus fragmenta suo ordine digeslerit; probauit, cum omnia ex Sigonij præscripto expressa sint, censendum esse, potius librum noui alicuius auctoris esse, quam Ciceronis; quædam nonnullis fragmentis addita esse aperui; atque, si conclusa ita fuisset Ciceronis consolatio, ut ita est, Laetantium exposui non reprehensurum fuisse Ciceronem, quemadmodum reprehendit. postremo confirmavi, exempla quædam clarissimorum virorum ordine perturbato narrata esse, & nonnulla commemorata, quæ, incertum est, an Cicero in sua posuerit consolatio ne. Quæcum ita sint, quid est, quod iudicium à me factum tantopere reprehendatur? Iam vero non Sigonius, quem studio gratificandi, vel paradoxi defendendi ad hanc caussam adductum esse existimo, sed ceteri reprehensores nostri, torqueant se, quantum velint; huc, atq; illuc fluctuant, laborent, deudent: nunquam tamen reperi poterunt rationē, qua hunc librum Ciceronis esse omnibus persuadeant: maxime vero, quia non solum res, de quibus adhuc egimus, verū etiam verba ipsa Ciceronis majestati minime conuenire videantur.

Quod
alia disceptatione demonstrabo.

Y Antonij

ANTONII
RICCOBONI.
DE
CONSOLATIONE EDITA
SVB NOMINE CICERONIS,
Tertia Disceptatio.



VM multa alia ueteres scriptores, qui eruditis Romanorum temporibus fluerunt, distinguunt à recentioribus, qui Romano iam lapso imperio, atque oppressa impetu Barbarorum Italia aliquid conscripserunt: tum nihil profecto magis, quam linguae latine ratio. Illi enim putarunt, nullum habere uerborum delectum, nec curare, quomodo animorum sensa exprimerentur, dicendi ne lumiibus, an sordibus orationis, hominis esse, ut scriptum reliquit Cicero, intemperanter abutentis & ocio, & litteris: hi parum admodum in uerbis sibi elaborandum existimarent, unamque intelligendi, non etiam loquendi gloriam perquisiuerunt. Ac inter ueteres quoque illos non nulla fuit latini sermonis dissimilitudo, quod hæc lingua suos habuerit gradus, suaque incrementa, & tunc maxime uigere uisa sit,

sa sit, cum & Terentius, & Cæsar, & Cicero, & si qui alii fuerunt eiusmodi, optimi Latinitatis auctores scriptioni studuerūt; ut, quæadmodū illi, quos eascos appellauit Ennius, ruidus quodā modo locuti sunt, sic, qui post Terentii, Cæsaris, Ciceronis tempora fuerunt, non nihil discessisse ab huius sermonis candore uideantur. Nulla autem certiore, aut insigniore nota, meliores scriptores à deteriorib. discernuntur, quām, quod illi exactius hi minus exacte locuti esse existimentur; illi in elocutione accuratiōres, hi minus accurati iudicentur; illi ornatiores, hi minus ornati putentur. Præclare Socrates, is, qui uel Apollinis oraculo sapientissimus est appellatus, cum hominem quendā decorum, & eleganti forma conspicuum, omnibusq; corporis ornamentis præditum, diutius tacentem intueretur, Loquere, inquit, utte uideam, significans scilicet uir clarissimus, ex ipsa potissimum locutione homines esse considerandos. Tanta au- tem fuit Ciceronianæ dictionis maiestas, tantus splendor, tanta elegantia, & munditia, ut non modo superiores omnes superaseret, sed posteris etiam omnibus spem melioris, elegantioris, aptioris, dignioris elocutionis in perpetuum uisus sit ademisse; à qua ceteri, maxime recentiores, longe recessisse existimantur, alii magis, alii minus, prout quisque diligenter, uel negligeret Ciceronianum stylum, optimum latine dicendi effectorem, & magistrum, obseruauit. Quantum uero discesserit is, qui consolationem editam sub nomine Ciceronis conscripsit, cum ego conatus essem ostendere, ut ex hoc scilicet firmissimo argumēto perspiceretur, an illa eset Ciceronis, nec ne: Carolus Sigonius, uir maximo ingenio, ac doctrina præitus, miris Tragediis excitatis, contendit, nec me, nec alios, qui elocutionem istius consolationis minime esse Ciceronianam putarunt, uerum putasse; ac gratulatur huic maxime saeculo superbū nostrarum aurium, aut animi iudicium, qui pauca quædam uerba fastidiamus, nosque temeritatis accusat, quod falsum temere simulauerimus. Quamobrem operæ precium est uidere, quomodo id ipse, ut pollicetur, demonstret. Si enim apparuerit, ut fore arbitramur, nos uera sensisse, ipsumque, quod scripsimus, distorsisse, & ad rem suam traxisse, ut falsum ex ingenio probaret; simul constabit, nostrarum aurium, aut animi iudicium, non superbū, ut ipse liberius appellat, sed uerecundum, & cautum

Y 2 fuisse

fuisse, non audacter, quæ Ciceroniana non sunt, Ciceroniana esse asseuerans, sed ea religione utens, quæ prudentibus lectribus conuenit; nec nos fuisse, ut idem ob libertatem, & licentiam, quam in nos habet, scribit, temerarios simulatores, sed ipsum potius hominem callidum, uersutum, & ueteratorem, qui tam bene ueritatem occultet. Cum autem illud dicendi genus; Castos animos, & pueros, leni quodam, & facili lapsu ad Deos, id est, ad naturam sui similem peruolare; non ego, sed alii, ut parum Ciceronianum accusarint; aliorum, non mea, sit responsio. Quoniam uero locum illum, Cupiditates infatiables exortiuntur, quibus non modo singulos homines, sed totas familias, & uniuersas funditus ciuitates euersas, uidemus; superiori proxima disceptatione nostra perpendimus; ne illum quidem amplius attingemus, sed illa tantum tria, quæ in priore nostro iudicio scripta sunt, pro viribus defendemus, quædam esse in ista consolatione minus Ciceroniana, alia minus proprie dicta, non nulla minus latina. Prius uero quam ad Sigonianam controversetiam accedam, danda mihi haec uenia est, accommodata huic causæ, eloquentiæ studiis, quemadmodum spero, non molesta, ut breuiter non nullis respondeam, qui, cum mecum apud illustrissimos quosdam uiros de ista consolatione differerent, dicere, si diis placet, ausi sunt, in eo, qui artem oratoriam profiteretur, in qua admirabilem extitisse Ciceronem omnibus compertum est, elocutionem non fuisse admodum considerandam, & rem esse parui pondere, ac momenti, propterea quod non sit, ut recentiores philosophi loquuntur, de essentia Rhetoricæ, sed extra Rhetoricæ, & Rhetoricæ aduentitia. Noc sic doctissimus Siginus, cuius se esse sectatores profitentur, sed in hunc modum; Delectus ipse verborum, ut fontem, sic laudem omnem eloquentiæ continet: neq; orator alia re magis quam verborum splendore, ac copia commendatur. Quam quæstionem tametsi alibi pertractauit, tamen hic quoq; mihi attingendam duxi, ut elocutionem, unde etiam eloquentes nomen habuerunt, à natura eius artis, in qua eloquentes versantur, istis etiam reclamantibus, non esse alienam ostendam. Ac scripsit quidem Aristoteles in proœmio libri primi artis Rhetoricæ, solam fidem, id est, solum enthymema, continere id, quod artificiosum est: alia vero addita-

additamenti esse loco; unde colligunt, solum enthymema constitutere essentiam huius artis: cetera uero, ut affectus, mores, dispositionem partium, elocutionem, esse additamenta quædam. At statim post definitionem Rheticæ tradidit, fidem, & persuasionem Rheticam duplē esse, unam non artificiosam, ut testimonia: alteram artificiosam, ut argumentationes, affectus, mores: unde perspicitur, in essentia artis Rheticæ non solum argumentationes, & enthymemata, sed etiam mores, & affectus contineri. Quod idem significauit, cum scriptum reliquit, Rheticam conflatam esse, tum ex Analytica Scientia, tum ex Politica. illa enim argumentationum: haec morum, & affectuum præcepta ipsi Rheticæ subministrat. Initio autem libri tertij docuit, tria esse de oratione præcipienda; unum quidem, ex quibus ipsa fides sit, quæ spectatur in argumentationibus, moribus, affectibus: alterum verum de elocutione: tertium autem, quomodo conueniat ordinare partes orationis, id est, in essentia artis Rheticæ, quæ est de oratione, tria comprehendit, inuentionem argumentationum, morum, affectuum, elocutionem, dispositionem partium. Ex quibus Aristotelis locis non parua est dubitatio exorta de ijs rebus, quæ naturam, & essentiam Rheticæ constituant; ut modo solum enthymema id efficere dicatur: modo triplex artificium inuentionis: modo inuentio, elocutio, partium dispositio. Mihi autem in hanc dubitationem acrius intuenti illud respondendum uidetur, quod etiam summis nostrorum temporum philosophis probari cognoui, Rheticam duobus modis posse considerari, aut absolute, aut per quandam relationem, & contractionem ad munus, & finem suum. Si absolute consideretur, solum enthymema in essentia eius reperiri, quod ab Aristotele corpus fidei nuncupatur. Si quatenus refertur ad auditores, qui præter argumentationes indigent affectibus, morata oratione, elocutione, partium dispositione, & quatenus contrahitur ad suum munus obeundum, quod est ornate dicere, & suum finem adipiscendum, qui est persuadere, in eiusdem essentia simul cum enthymematis comprehendi non solum mores, & affectus, sed etiam elocutionem, & dispositionem. Id quod uidetur conuenire uerbis Aristotelis circa principium libri tertii, ubi agitur uel de actione, uel de elocutione in hunc modum;

modum; Et uidetur esse res leuis, si recte existimetur. At cura ad opinionem tota Rhetorica traditio existat, eius cura suscipienda est, non tamquam rei recte se habentis, sed tamquam necessaria. Quoniam iustum est, nihil amplius querere circa sermonem, quam, ut neque molestiam, neque iucunditatem afferamus. Iustum enim est, ipsis decertare rebus. Quare alia praeter demonstrationem superuacanea sunt. Verumtamen multum ualent, ut dictum est, propter improbitatem auditorum. Hæc Aristoteles. Itaque si recte existimetur, & habeatur ratio rei, quæ recte se habeat, id est, si ars absolute, & secundum rectam naturam suam perpendatur, quæ requirit, ut attendantur tantum ea, quæ de re sunt, qualia existunt entyhemata, non ea, quæ extra rem, quales affectus, mores, dispositio, elocutio, profecto cetera leuia sunt, & superuacanea, praeter demonstrationem, id est, entyhemata, quod solum artificio sum est, cum certa sint additamenta. Iustum enim est, hoc est, recta natura artis postulat, ut ipsis rebus, & rationibus decertemus, quas quæ ueteres dicendi magistri non pertractarunt, sed tantum ea, quæ sunt extra rem, tradiderunt, idcirco exigua artis Reticæ particularam confecerunt, & in optimis iudiciis, quale fuit Areopagitarum iudicium, ubi oratores prohibebantur extra rem age re, nihil ualuerunt, ut in procœmio. bri priui scriptum est. At si necessitas inspiciatur, & Rhetorica consideretur, quatenus tota eius pertractatio refertur ad opinionem, & improbitatem auditorum, ac contrahitur ad exequendum munus oratoris, & finem consequendum, qui obtineri non potest, nisi simul cum argumentationibus affectus, mores, ordo partium, & elocutio adhibeatur, sine dubio praeter demonstrationem, & entyhemata, aliorum multorum, quæ multum ualent, cura suscipienda est, id est, alia multa sunt artificiosa, & in essentia artis posita, ut affectus, & mores, qui post Reticæ definitionem aperte cum argumentatione artificiosi appellantur; & præterea elocutio, ac dispositio partium, de quibus in Reticæ, tamquam de rebus ad constitutionem Reticæ necessariis, præcepta tradenda esse initio libri tertii scriptum extat. Iam, cum Reticæ posse duobus modis considerari; & primo modo considerata in essentia sua elocutionem minime comprehendat, secundo modo comprehendat; tradit Aristoteles semper Reticam considerat.

considerandam esse secundo modo, quia ad opinionem auditorum tota Reticæ traditio refertur. ergo semper elocutio, ut recentiorum philosophorum uocabulo utar, essentialis Reticæ debet existimari; dicant, quidquid uelint isti, qui dum fate tur, se, propterea quod nullam unquam uerborum latinorum curam habuerunt, de elocutione latina iudicium facere non posse, simul fateantur, necesse est, dum agitur de operibus latini, ueris, uel fictis diuidicandis, quorum ratio in ipsa potissimum elocutione consistit, ne carere iudicio videantur, sibi tandem esse.

Nunc longe mihi gravior de elocutione cum elocutionis obseruantissimo Sigonio pugna suscipienda est, & quidem triplex pugna; prima de uerbis minus Ciceronianis: altera de minus proprie dictis: tertia de minus Latinis. scripsoram enim in hunc modum; Si nihil aliud haberetur, quod de hoc libro suspicionem faceret, elocutio ipsa, nostra quidem sententia, satis indicaret, eum Ciceronis non esse, in quo quædam uerba sunt minus Ciceronianæ, quædam minus propria dicta, quædam etiam fortasse minus Latina.

I. Ac laborat quidem Sigonius in eo ualde, ut ostendat singulos Ciceronis libros nouum aliquod uerbum afferre, quod non contineatur in aliis; ac egregie colligit singularia ipsius Ciceronis uerba, tum à Statilio, ut testatur Carissimus, relata, Repentino, Rarenter, Stomachose, Salutariter, Stirpitus, Ostiatim; tum à Nonio obseruata, Condocefacere, Diloricare, Exantare, Fortunare, Fluusionem, Colluusionem, Excandescitiam, Fallaciloquentiam, Magniloquentiam, Superbiloquentiam, Inſinitatem, Inſulſitatem, Mulieritatem, Surditatem, excelsitatem, Purpurascere, Putiscere, Repuerascere, Vastescere, Veterascere: tum à Seneca notata, Reapſe, Sua uiloquentem, Breuiloquentem: tum à Quintiliano commemorata, Beatitudinem, Beatitudinem: tum à Sidonio exposita, Indolentiam, Essentiam: tum in fragmentis posita, Adiutorium, Conſitura, Quotidiano, Anxitudo, Impigritas, Opprobrium, Captiuitas, Sanctitudo: tum in quibusdam orationibus & libris singulariter usurpata, ut pro domo Ignitus; pro Placio Debitio; pro Sextio Muliōnicus; p Cluētio Materiatius; in Reticis teste Prisciano Mēſurus pro Menſtruus; de Fato principialis; de Oratore, & in Tusculanis, Animi confiſione, & Verba

Verba Anhclata; in Oratore, & officijs Adipatæ dictionis, & Turpificati animi. Hæc, inquam, uir clarissimus præclare: sed ad meum argumentum minime uidetur respondere, quod du-
ctum est non à nouitate vnius, vel duorum vocabulorum in
hoc libro adhibitorum, quæ in Ciceronis libris non reperian-
tur, sed à multitudine eorum, quæ Cicero nusquam fere, hic
uero auctor in hac consolatione audacter usurpauit. Itaq; co-
fessus sum non esse absurdum, quod quoq; Sigonius probat,
vt aliqua vox in uno tantum libto, & non in alijs usurpetur:
sed tam multis nouas in paruulo opere inueniri miratus sum;
atq; inde suspicionem duxi, eum Ciceronis non esse. Sic .n.
scripsi; Quæ minime Ciceroniana videntur ex eo, quod alijs in
locis Cicero illis vsus non sit, illorum si vnum, aut alterum tan-
tum in hoc libro reperiatur, dici fortasse posset, non esse ab-
surdum, vt aliquam vocem in uno tantu libro, & non in alijs
ipse usurpauerit: sed, cum tam multa in tantulo libello repe-
riantur, nescio, quis sanæ mentis eum esse Ciceronis possit exi-
stimare; quasi nunquam Cicero occasionem habuerit ytendi
huiusmodi uocibus, nisi in hac consolatione, uel sibi existima-
uerit, licere magis in hoc opusculo, quam in aliis, adhibere uer-
borū sordes, & vt vocabulo vtar imitatoris, loquendi absurdita-
tes. Quid erat igitur, cur Sigonius in probâda re confessâ immo-
raretur, & illud ipsum prætermitteret, in quo posita eset, tota
mei uis argumenti? Sed fit sâpe, vt qui de re nihil habet, quod di-
cat, artificiose aliquid extra re agat. Quod si illa Attica anus Theo-
phrastu illum, qui à diuinitate loquendi nomen inuenit, annota-
ta vnius affectatione uerbi, hospitem appellauit: cur auctorem
istius consolationis, obseruatis apud eum tam multis uerbis mi-
nime Ciceronianis, non à Cicerone diuersum existimemus?
At latina sunt certe quædam: sed non idcirco Ciceroniana. de
quibus agit Sigonius permiste, ac confuse, ne quis, ut ipse ait,
hoc huius, illud illius esse possit arguere: ego uero meum ipsius
ordinem retinebo, ut, quæ contra me dicta sunt (pleraque enim
sunt) quæ que contra alios, facile appareat. Ac prima quidem
uox à me notata tamquam non Ciceroniana, est Compago.
Quid dicit Sigonius? Compago est Liuij, & Taciti. probe, non
nego. Sed est Liuii, & Taciti, ergo Ciceronis? Profecto non so-
lum est Liuii, & Taciti, sed etiam Sigonii, qui in prima, quam ha-
buit

buit in Academia Bononiensi, oratione dixit; Hac infirma cor-
porum compage. Non tamen video esse Ciceronis. Altera vox, Immerentes, de qua sic Sigonius; Immerentem dixit Terentius in Hecyra, & Suetonius in Tito. Id verissimum est. Sed dixit Terentius, dixit Suetonius, ergo dixit etiam Cicero. Nego consecutionem. Tertia Infelicitter, de qua ita ille; Infelicitter est Terentij, & Liuij. Itaq; vt Cicero alias dixit, Misere, & Iufelix, si hoc loco, Misere, & infelicitter. Idem respondeo, quod etiam de superioribus, verum esse antecedens de Teren-
tio, & Liuio, falsam consecutionem de Cicerone. Quarta Va-
gitus bis in ista consolatione usurpata, quam notauit esse qui-
dem Latinam, nempe Lucretianam, & Virgilianam, sed non
Ciceronianam. Fingit tamen Sigonius, se dubitare, quid nam
reprehenderim, vocem ne vagitus, an sententiam illam, In æru
mnas, miseriasq; ingredientes, quid gratum, quid hilare aspi-
cimus? qua re potius non offendimur? quod primus ille nascet
tium infantium vagitus, & eiulatus declarat. Itaq; vocem aucto-
ritate Plinij, sententiam auctoritate Aeschinis in Axiocho com-
probavit; additq; sibi absurdum videri Ciceronem grunnitum
suis dixisse, vagitum pueri dicere nequiuuisse. At pescuū est,
me vocem, non sententiam reprehendisse: nec nego illam vo-
cem esse Plinij, & aliorum latinorum, sed dico non esse Cicer-
onis: nec contendeo, utrum Cicero uoce vagitus uti potuerit,
necne, sed usum esse inficior. Quinta elocutio non Cicer-
onianam est, Despondere animum; de qua ne ualet quidem illa
consecutio; Est Plauti, Varronis, Liuij, igitur Ciceronis. Sex-
ta uox, Indecentius, & Indecens, quam probat quoq; Sigonius
esse Latinam, quia sit Martialis: sed non idcirco ostendit esse
Ciceronianam. Septima Ofor, quæ est Plauti, vt ipse ait: sed
non ob id Ciceronis. Octaua Detractor, qua si usus est Tacit-
us, non idcirco Cicero. Nona Captiuitas, bis in isto libello
adhibita, quam intelligo esse minus Ciceronianam, idest, mi-
nus, & rarius à Cicerone usurpatam, & quidem minus, si cum
uocibus à Cicerone frequentatis comparetur, cum inueniatur
semel in fragmento orationis pro Cornelio apud Asconium.
Hanc unam prius ab alijs inter eas, quæ parum Ciceronianæ
sunt, notatam probat quidem Sigonius unico exemplo esse
Ciceronis: sed cum tam multis alias esse eiusdem demonstrare,

ste Plinio, qui hoc in secundo sermonis dubij ostendit. Nolumus Cum me, & Cum te dicere, ne eidem computationi adiungendum esset, Cum nobis, sed potius Mecum, & Tecum, & Secum, & Nobiscum diximus cum præpositione, quæ facit obscenum, postposita. Addit Siganus, recte dici Cum natura, quia etiam Virgilius dixit, Numerum cum nauibus æquat. Nec solum Cum natura, sed etiam Cum nullo, quia si ex his Cunna, & Cunnul fecerimus, nihil turpe dicturi simus. Secundo loco, quando dictum est, Cum nostro vulneri medeamur, Cū neminem ipsa morte commoueri debere, proditum sit, Cum nec ipse quidquam acciderit in ali, Cum nihil nisi rectum cogitaret; id totum longe dissimile apparere, ipsumq; Ciceronem sic interdum locutum esse, vt in Lælio, Cum ne id quidem: in 2. de off. Cum nec necessitati: in 3. de legibus, Cum nullo magistratu iuuante diem tolli vtile est; & Poetas quoq; hoc vitium non seruasse, aut certe non declinasse, sed Pomponium dixisse apud Gellium, Cum nihil egis: & Plautum in Captiuis, Cum nulla vita meæ salus: & in Menachmis, Cum negabas: & in Sticho, Cum nihil, quamobrem faciam: & Terentium in Andria, Cum nihil obsint doli: & Horatium in sermonibus, Cū nil procedere lintrem. Tertio veteres græmaticos differentiam facere inter Cum præpositionem, & Quum adverbium; ut si dicatur, Quum na, Quum ne, Quum si, Quum no, nihil offendit, modo hæc uox ita, ut oportet, & scribatur, & edatur.

Quarto ipsum, cum hæc scribebat, nondum eam partem Oratoris composuisse, in qua hæc tam subtilia præcepta dabat, quia eodem anno, licet non iisdem fortasse consulibus, utrumque opus in manibus habuit. Quinto, ipsum præ doloris magnitudine suorum præceptorum memoriam abieciisse. Sexto, si qua in hoc corpore eiusmodi uulnera cernantur, eandem huic opem adhibendam esse, quam ceteris Ciceronis monumentis docti uiri iampridem adhibuerunt, in quibus addendo, detrahendo, ac mutando, omnia uitia sanauerunt. Addunt septimum quidam Siganii amici, uiri eruditissimi, eiusmodi uitium uitandum esse in orationibus, quæ ad populum habeantur, & cuna oratores uulgo loquuntur, ne scilicet populus eam audiens cacophoniā in risum, & sibilum conuertatur: scriptionis uero aliam rationem esse, quæ cum doctis proponatur, grauiora sci-

non posse, ob eam solam gloriari non debet. Decima, Lætabundus, de qua idem in hunc modum; Si porro Cicero lætabundum alibi non dixit: at huius generis alia, dixit, ut in 2. de Repub. Cupido autem, & expertus, & libidinoso, & uolutabundo in uoluptatibus; & Salustius historiarum 3. apud Nonium; Vitabundus classem hostium ad oppidum peruenit. Vitabundus, inquit Nonius, id est, uitans; ut hic lætabundus, id est lætans; & Liuius sèpe populabundus, id est, populans, ut inquit Gellius. Omnia fateor, hoc uno excepto, quod Cicero dixerit lætabundum. Undecima, Lacedæmones, quam ipse Vegetius esse dicit, Ciceronis esse dicere non potest. Duodecima Absurditas, quæ, ipse magis ostendit, quomodo nouari potuerit, quam ubi à Cicerone usurpata sit; quem loquendi modum, ut is notat fuisse à S. Augustino lib. 7. cap. 33. de ciuitate Dei imitatione exprelsum: sic ego contra fuisse ex S. Augustino ab imitatore sumptum arbitror. Decima tertia Imperitia, quæ est quidem Salustij, ut idem tradit, sed non ipsius Ciceronis. Decimaquarta elocutio est, quæ ad dictionem Cum uocem à littera N. incipientem contra præceptum Ciceronis nouies adiungit, ad quam meam obseruationem euertendam omnes uires suas parat. At ego, inquit, idoneus ad nullâ causam sim, si huic tam graui impressioni tam multas, ac tam magnas obiscere moles, ac quasi machinas, nesciam, ut ipsam aliquæ ratione auertam. Quid? si eum nihil proficere ostendam? Sex enim hac de re dicit: primo loco Ciceronem hoc præcepto id uideritantummodo montuisse, ne præpositionem Cum iungeremus cum uocibus inchoantibus à No, ne forte uideremur obscene dicere Cunno; idq; confirmata uictoritate Quintilia ni, & Prisciani. Quintiliani enim uerba sunt; Iunctura deformiter sonat, ut si cum hominibus notis loqui non dicimus, nisi si hoc ipsum Hominibus medium sit, in præfata uidemur incidere, quia ultima prioris syllabæ littera, quæ exprimi, nisi labijs coeuntibus, non potest, aut interfistere nos indecentissime cogit, aut continuata cum inseguente in natura eius corrumpitur. Prisciani uero, Antiquissimi in plurali primæ personæ cacephati causa solebant per anastrophēn dicere, Nobiscum, pro Cum nobis. Itaque propter hoc reliquarum quoque personarum ablatiuos similiter præpostere proferre cœperunt, te-

Ilicet attendentibus, & ad hæc leniora coniuentibus, minus exacta esse posse ipsis uidetur. probant autem interpretationem suam uerbis ipsius Ciceronis, quæ sic se habent; Quid? quod vulgo dicimus Cum illis, Cum autem nobis non dicimus? Vulgo dicimus, id est, inter populares loquimur, non ad litteratos scribimus. illi enim ne leuiora quidem ferunt: hi leuiora non curant. O subtilitatem omnibus admirandam, & perspicacitatem in coniectandis scriptorum sensis prope incredibilem. Sed ad singula respondeamus. Ac si primum quidem uerum est, sequitur auctorem non recte dixisse, Cum nominis sui gloria, quia præpositio Cum iuncta est cum uoce inchoante à Nō. Quamquam ei concedere non possum, ut præceptum illud tamen strictim intelligatur, cum obscenitas repræsentetur non solum si dicatur Cum no, sed etiam Cum ni, Cum ne, & similiter. Auctoritas enim Quintiliani generatim probat inter dictiōnēm Cum, & uocem inchoantem à littera N, siue sit syllaba Na, siue Ne, siue Ni, siue No, siue Nu, aliquid interiiciendum esse, quia in dictiōne Cum littera M, quæ exprimi, nisi labiis coeuntibus, non potest, aut intersistere nos indecentissime cogit, aut continuata cum insequente in natura eius corrumpitur, quæ ratio ualet pro qualibet uoce incipiente à littera N, & dictiōni Cum adhærente; ac nota deformatitatem aut intersistendi, aut corrumpendilitteram M, dum mutatur in N. Præterea auctorias Prisciani, quamvis agat tantum de uitato cacephato, cum dictum est Nobiscum pro Cum nobis, non tamen idcirco admittit alia cacephata. Nec excusatur Cum natura, quia Virgilius dixerit, Cum nauibus. Nam & ibi cacephatum esse notauit Seruius. Et non solum Cum natura non excusatur, sed ne Cum nullo quidem, quia obscenitas est in concursu litterarum uocem obscenam quodammodo repræsentantium. Ad secundum respondeo: si dicatur, Cum nostro, Cum neminem, Cum nec, Cum nihil, tantum abesse, ut id totum sit longe dissimile, ut potius eadem habeat obscenitatem: & ne me quidem negasse, Ciceronem interdum sic locutum esse, sed uim argumentationis in eo posuisse, quod Cicero non sæpe, hic uero auctor sæpe huiusmodi obscenitate sermonis usus sit, scripsi enim in hunc modum; Ut uitaretur uocis turpitudo, Cicero raro admodum in eam coniunctionem incurrit. Tertium euertitur,

quia

quia siue præpositio Cum, siue aduerbiū Quum iungatur cum voce inchoante à littera N, obscenum facit. Nam si dicatur, Quum nos te uolumus conuenire, Quum aduerbiū est, & tamen teste Cicerone ad Papyrium Pætum, obscenitatem habet. Quare iste auctor non solum in talem Cacophoniam incidit, scribens per præpositionem, Cum nullo dolore, Cum nullo doloris leuisu, Cum nominis sui gloria, Cum natura: uerum etiam per aduerbiū, Quum nostro vulneri, Quum neminem, Quum nec, Quum nihil nisi rectum, Quum nihil nisi quod rectum. Quarti facilis, & expedita solutio est, quia ut ipse, cum hæc scribebat, nondum eam partem Oratoris cōposuisset, in qua hæc tamen subtilia præcepta dedit: non est tamen verisimile eum ignorasse, tale vitium vitandum esse. Quintum repugnat illi, quod scriptum est in priore Siganij oratione ad hunc modum; Magnificum, ac splendidum orationis apparatus à Tullio in consolatione sua fuisse adhibitum, docet Laestantius lib. 1. cap. 15. Non puto illum tam varie, tam copiose, tam ornate scribere potuisse, nisi luctum eius, & ratio ipsa, & consolatio amicorum, & temporis longitudo mitigasset. Eudem uero etiam in hac, quæ reprehenditur, enitere, omnes profecto probabunt, qui singulas comprehensiones orationis huius notabunt, quæ adeo inter se aptæ, atque ornatae sunt, ut illud pro meo iure ausim assertere, ipsum semet interdum uideri superauisse. Sextum reicitur, quod nimis difficile sit tam multa uulnera sanare. Ad septimum, quod est aliorum amicorum nostrorum, potest responderi, accuratiorem oportere esse elocutionem scriptiōnis, quam publicæ dictiōnis, teste Aristotele libro 3. Rhetorica, qui tradit elocutionem scriptiōnis exactissimam esse debere, & longe accuratiorem, quam contentionis: idcircoque elocutionem demonstratiuam, tamquam scriptiōni accommodatisimam, exquisitus studium requirere, quam deliberatiuam, & iudiciale. Quod si ita est, sequitur, quæ uitia uitanda sunt in publica dictiōne, ea multo magis uiri debere in scriptiōne, ut si, cum publice dicitur, non licet dicere Cum nobis, ne offendantur aures auditorum, multo minus licet scribere, ne lectores, qui solēt esse morosiores, acrius intuendo, uel pronuntiando, quæ legunt, inueniant, quod sibi displiceat, & scriptorem inscitæ, uel negligentæ condement.

Quid?

Quidquid cum Cicero illud præceptum tradebat, sine dubio scribebat, & tamen in scriptura sua id uitium uitauit, cum scriperit; Quia si ita diceretur, obscenius concurrerent litteræ, ut etiam modo, nisi Autem interposuisse, concurrissent? Non solum igitur in orationibus, quæ ad populum habentur, sed etiā inscriptionibus fugere, quod obscenum uidetur, debemus de quo non est dubitandum, cum litteras nominet obscenius concurrentes, quæ aperte de scripto intelliguntur. Obiter autem notaueram in eo loco; Credamus sane Apollini Delphico, qui exoratus à Trophonio, & Agemede, à quibus templum magni fice Apollini exædificatum Delphis erat, ut quod esset optimū homini, tribueret, post diem tertium exanimis sunt inueniti; dictum fuisse, Apollini exædificatum, pro, Ipsi exædificatum; nō quod damnarem earundem uocum repetitiones, quæ uenuste sunt, cuiusmodi sunt illæ Ciceronis, quas citat Sigonius, sed quia ibi uox Apollini non satis pulchre mihi rep̄etita uidetur, de quo aliorum sit iudicium. Iam ad minus proprie dicta accedamus.

II. Tres elocutiones in persona Ciceronis impropias esse notaueram; duas magis Christianis, quam Ciceroni congruentes, aliam dogmati Platonis, quod ipse sequebatur, minime respondentem. Primam, Ad futuram uitam, tamquam ad patriam euolare; alteram, Præfinitum esse uitæ terminum à Deo, quem præterire, aut ex quo egredi nemini liceat: tertiam, Animum simul cum homine interire. Quid facit Sigonius? In prioribus duobus locis sententiam, non uerba attendit, & idcirco ordine meo reliquo eos considerat, ubi sententias perpendit, & non uerba, conaturque demonstrare, absurdī nihil esse, si qua in re ipse cum Christiana Theologia consensisse dicatur, quod ut Deus legem Hebræis dedit, sic philosophiam Græcis ad Christum impertiit, & Plato consensit cum Mose; Platонem uero Cicero fecutus est. At ego non labore de sententia, quæ potuit esse eadem & Ciceronis, & Platonis, & nostrorum Theologorum, ut animi, cum è corporibus excesserint, si fuerint casti, puri, integri, incorrupti, bonis etiam studijs, atq; artibus expoliti, in cœlum, quemadmodum etiam in priore iudicio scripsi, tamquam in domicilium suum peruenirent; vtq; animal vñquodque ab ortu fatale viuendi spatium in se ipso contineret, quod legi:

legitur in Timo. Sed quæro de elocutione, ubi nam Cicero eam vitam, quæ post mortem habetur, appellauerit, vt recentiores Theologi, patriam; ubi nam dixerit præfinitum esse uitæ terminum à Deo, qui præteriri non possit, quæ elocutione ex propheta Iobe videtur sumpta. Id si ostenderit Sigonius, de eo amplius non controuersabimur. Idem quæro de tertia elocutione, ubi nam apud Ciceronem legatur, Interire animum cum homine, de qua sic ille; Cum verò virtus vertunt, quod dixerit, Animum simul cum homine interire, interpretantes animum cum animo mori, quod homo ipse sit animus, argutius loquuntur aliquanto, quam uerius. Etenim cum dicimus hominem mori, nonne intelligimus, mori partem eius mortalem, nempe corpus? nimirum, ergo qui dicit, animum interire cum homine, inquit animum interire cum corpore. Siquidem dixit in prima Tusculana; Neque excessu uitæ sic deleri hominem, vt funditus interiret. & Plato in Phædone; Num eodem die animus deletur, quo homo moritur? Hic quis est tam agrestis, indoctiue ingenii, qui animum cum animo extingui interpretetur? Hæc Sigonius; qui tamen, quod mihi obiicit, ipse facit, ut argutius agat, quam uerius. Nam quod dicit, hominem mori nihil aliud esse, nisi mori partem eius mortalem, nempe corpus, & idcirco interpretatur animum interire cum homine, id est, animum interire cum corde; id quam uerum sit, potest apparere ex definitione mortis allata à Platone in Gorgia in hunc modum, Mors est animi, & corporis dissolutio; quam definitionem significauit Cicero in prima Tusculana, cum scripsit; Sunt, qui discessum animi à corpore putent esse mortem, ergo hominem mori non est simpliciter corpus interire, sed animum à corpore dissolui; nec, qui dicit animum interire cum homine, inquit animum interire cum corpore, sed nugatur. Quod autem citatur ex prima Tusculana, non est simile: est enim proprie dictum, ut intelligatur, Neque excessu uitæ, id est, morte, & ipsa animi, ac corporis dissolutione sic deleri hominem, id est, animum (probat enim animos remanere post mortem, & uidetur hominem pro animo nominari) uel etiam hominem, id est, totum compositum ex animo, & corpore (sic enim etiam ex doctrina Platonica quandoque accipitur homo, vt modo considerabimus) vt funditus

ditus interiret: est enim animus immortalis, & vna cum corpore non interit. Nec est simile illud Platonis in Phædone: nihil n.habet, quod minus proprium sit, id est, Num eodem die extinguitur animus, quo fit animi, & corporis dissolutio? Nam profecto hoc in loco, ubi homo accipitur, non, ut in Alcibiade primo, pro solo animo, sed pro toto composito, si quis interpretaretur, quo homo moritur, id est, quo animus moritur, est, vt dicit Siginus, maxime agrestis, indoctine ingenij. Sed quis est iste, qui tam absurde interpretetur? Restat, vt nonnulli alijs, maxime ingeniosi, responso meo satisfaciam, qui meā hac de re observationem reprehenderunt, dicentes, apud Platonem triplicem esse hominem, unum in idea, alterum animū tantum, tertium compositum ex animo, & corpore. Itaque si de tertio homine Platonicō sermo habeatur, non impropriē dīci, animum interire cum homine. Addiderunt, intelligi posse animum cum homine, scilicet cum corpore: propterea quod in Biblijs sacris accipiatur homo pro corpore, ubi legitur; Formauit Dominus Deus hominem de limo terræ: & inspirauit in faciem eius spiraculum uitæ & factus est in animam uiuentem. At debuerunt homines acutissimi considerare, cum tripliciter apud Platonem homo accipiatur in secunda significatione hominem à Cicerone, cum uera hominis natura exquireretur, acceptum fuisse, ut probauimus ex lib. 6. de Rep. & ex 1. Tusc. ex qua significatione scripsi, interire animum cum homine esse, interire animum cum animo, & hoc modo absurde, & impropriē dictum. Præterea, si de tertio etiam homine Platonicō agatur, esse nugatorium dicendi genus, ut dicatur, interire animum cum homine, id est, cum animo, & corpore, quæ animi repetitio nugatoria est. Postremo cum in Biblijs sacris large accipiatur homo etiam pro homine exteriore, & corpore, eam acceptiōnem si non ibi, at certe apud Ciceronem, de quo agimus, & apud philosophos minus propriam esse, ut sacrarum litterarum auctoritas præter rem, & extra propositionem, dum agitur de propria Ciceronis elocutione, adduci uidetur. Nunc uenio ad minus Latina.

III. Ac primum declaro, me minus Latina duplíciter intellectus, uel comparete, minus, & rarius à Latinis usurpata, etiā fortasse apud nonnullum scriptorem inueniantur: uel simpli-

citer,

93
citer, non usurpata. His enim duobus modis accipi Minus Grammatici docuerunt. Iam primo sensu scripti, Filio suo pro Filio eius esse minus Latinum. Negari enim non potest, pronomen Suus sua suum fere cnam supposito conuenire, ut apud Catullum;

Nam se præcipue in suis urbibus colit ora.

Hellepontiaca ceteris ostreacior oris.

Vocem vero Eius, vel Forum cum apposito, vt apud Ciceronem pro Milone; Milo fit obuiam Clodio ante fundū eius. Atque is loquendi modus plurimis Latinorum exemplis confirmatur, & ad sermonis perspicuitatem maxime pertinet. Neque est, cur Budæo paucis quibusdam exemplis, maxime vero, si cum communi Latinorum ysu conferantur, Vallam reprehendenti, facile assentiamur: ratio enim eloquentiæ requirit, vt non, quod raro, sed, quod sæpe ystatum sit, attendatur. Eoq; minus assentiri debemus, q; non oīa, quæ citat Ciceronis exēpla, prorsus satisfaciūt. Suus.n., vt idē tradit, non modo, proprium sui ipsius, sed et p̄p̄riū significat. De hac secunda significatione non dubitamus, ex qua potest accipi illud pro Cœlio; Videor iecisse fundamenta defensionis meæ, quæ firmissima sunt, si nitantur iudicio suorum, id est, proprietum Cœlij. & illud pro Rabirio de Cæsare; Nec illius animi aciem præstringit splendor sui nominis, id est, proprij. & illud pro Roscio Amerino; Sua quenque fraus, & suus terror maxime vexat: suum quenque scelus agitat, suæ malæ cogitationes, conscientiæque animi terrent. & de Aruspicum Responsis; Sua concio risit hominem. & de officijs; Expendere oportet, quid quisque habeat sui. id enim maxime decet, quod est suum cuiusque maxime. In prima significatione dicimus huiusmodi pronomen referendum esse ad suppositum, siue sit suppositum aliorum modorum, siue infiniti modi; ex qua sine dubio corrigendum videtur illud simulati Ciceronis in simulatum Salustium; Quod si vita istius memoriam vicerit, illam Patres Conscripti non ex oratione, sed ex moribus suis spectare debet. Dicendum enim est, Ex moribus eius, non ex moribus suis, vt mores Salustij significantur. Cui rei non aduersatur illud exemplum quartæ Philippicæ; Quod autem erat præsidium salutis, libertatisq; vestræ, si C. Cæsar is, fortissimo

Aa rumq;

rumque sui patris militum exercitus non fuisset? suppositum enim est exercitus C. Cæsaris: & ad hoc refertur Patris sui, id est, patris proprij sui ipsius Cæsaris. Nec illud, quod legitur in epistola ad Octauium; Sin autem supra ætatem, supra consuetudinem, supra etiam mortalitatem tuam tibi sunt omnia tributa, cur aut ingratus crudeliter, aut immemor beneficij sui scelerate circumscribis senatum? illa enim epistola suspecta habetur, quasi non Ciceronis: vt etiam illa oratio in Salustium: quam suspicionem confirmat quoque Paulus Manutius, à quo correcti libri ita habent: A D OCTA VI V M E P I S T O L A, quam Ciceronis esse vix credimus. Confirmat similiter Dionysius Lambinus; qui in emanationibus suis notaui; Incerti auctoris epistola ad Octauium: non est enim Ciceronis. & Hæc epistola non est Ciceronis, sed Declamatoris alicuius. Accedit, quod in melioribus contextibus, vt in Aldinis, non est vox Sui. & Lambiniani habent in margine, Tui. Nec illud ad Att. Denuncio tibi eum absolutum iri, neque patronis suis tam libentibus, quam accusatoribus: quod refertur ad suppositum infiniti, id est, patronis proprijs sui ipsius. Nec illud item ad Att. Consules flagrant infamia: quod C. Memmius candidatus pactionem in Senatu recitauit, quam ipse suus competitor Dōmitius cum Consulibus fecisset. refertur enim ad illud suppositum C. Memmius, & intelligitur ipse proprius sui ipsius C. Memmij competitor; quemadmodum etiam potest intelligi illud in libris de finibus, Epaminondas quæsiuit, saluus ne esset clypeus: cum saluum esse flentes sui respondissent; rogauit, & reliqua:nam refertur ad suppositum, Epaminondas, id est, proprij sui ipsius Epaminondæ. & illud quoque ad Att. Plura nobiscum hic perhonorifice, & amice Octavius, quem sui Cæsarem salvabant, Philippus non. quod refertur ad suppositum Octavius, id est, proprij sui ipsius Octaviij. Quamobrem illis multis, quæ dicit Siganus, Ciceronis exemplis, à Budæo allatis, non impedit, quominus exstitem in ista Consolatione minus recte dictum esse Filio suo pro Filio eius. Siganus tamen, quia id ad rem suam pertinet, Budæum se sequi profitetur: & non nulli alij grauissimi viri se à me dissentire præ se ferunt, quod nihil putent interesse, utrum Filio suo, an Filio eius

eius dicatur, qui consentire cum clarissima Aldina domo uidetur. Nam Paullus quidem Manutius vir apprime litteratus, explicans illud de Pompeio in oratione pro lege Manilia; Qui extrema pueritia miles fuit summi imperatoris; scribit, Patris eius, non Sulla: dux enim, non miles ad Sullam profectus est. At ego ab eo discrepo, non solum, quia dicit Patris eius loco Patris sui, verum etiam, quia, vt hoc obiter notem, per summum Imperatorem intelligit patrem Pompeij; & mihi magis probatur, intelligi Cinnam, ad quem post patrem fulmine ictum, & vnclo tractum, se Pompeium contulisse, scriptum reliquit Plutarchus; vt tres Imperatores denotentur; pater Pompeij, ad cuius exercitum ipse ē ludo, atque pueritæ disciplina profectus est: Cinna, cuius miles fuit extrema pueritia: Sulla, cuius exercitui ineunte adolescentia imperauit. Aldus uero, Paulli filius, vir eruditissimus, quem admodum istius Consolationis auctor videtur esse usus Suo pro Eius: sic ipse conatur probare, usurpatum esse Eius pro Suo; atque in illum locum Ciceronis de amicitia; Scipio P. Rupilium potuit consulem efficere, fratrem eius Lucium non potuit; scribit in hunc modum; Eius pro Suum. vt Liuius lib. XXXIII. T. Iuuentum, & C. Labeonem eius fratrem, id est, C. Asinii Labeonis supra nominati. Sic & in antiquis inscriptionibus.

L. MAELIVS. L. L. Tarnitas

VASCVLARIVS,

SIBI, ET DVRDENAE. P. L.
CYTHERIDI.

ET L. MAELIO. L. F. ANI

FLACCO

FILIO EIVS

SCR. AED. CVR. ET SCR.

ET LIBERTIS,

ET LIBERTABVSQ. SVIS.

E T,

D. M.

T. FLAVIVS VITALIS

FEC. SIBI, ET POSTERISQ. EIVS

Aa 2 LIB.

LIB. LIBERTABVS Q.
 QVORVM NOMINA I. S. S.
 POSTERISQ. EORVM
 MERCVRIALI. HILARI
 CINNAMO. SATVRNINI
 CRESCENTI SER. RESTITVTAE
 FORTVNAT. FESTAE
 COETONIDI ANCILLAE. I.

Hæc citat Aldus. Mea tamen , ut pace eius libere agam,
 longe alia sententia est . Nam si in uerbis Ciceronis legere-
 mus vocem Suum, & non Eius, intelligere fratrem Scipionis
 deberemus, & non P. Rupilij, cum sine dubio Cicero de fra-
 tre Rupilijs loquatur . Verba uero , quæ citat Aldus ex Liuij
 libro XXXXIII. (sic enim legendum est) in melioribus
 contextibus sic se habent; Nominabant etiam Tribunos mili-
 tum T. Iuuentium, & Cnæum Labeonis fratrem . Nam si le-
 gamus C. Labeonem , eius fratrem , primum duobus fratri-
 bus idem erit prænomen ita , ut unus ab altero distingui non
 posse, quod munus erat prænomina: deinde uox Eius, quæ
 referenda uideretur ad T. Iuuentium, nimis longinque refer-
 retur ad C. Asinium Labeonem multis uerisculis nomi-
 natum. Quod attinet ad inscriptiones , eatenus illis standum
 esse existimo , quatenus cum optimis Latinitatis auctoribus
 conueniunt . At, cum in quibusdam uariant , malo sequi me-
 liores scriptores : nec ea superstitione imbutus sum , ut, quæ
 in ueteribus marmoribus reperiuntur , probanda esse omnia
 censem , cum in ipsis multa esse posita uideantur minus ele-
 gantia, minusque cum bonis scriptoribus congruentia , & ut
 uocabulo utar Iulij Cæsaris Scaligeri, barbarissima, quemad-
 modum nostris quoque temporibus . Quamobrem uir uetu-
 statis obseruantissimus suo sequatur arbitratu uetustas inscrip-
 tiones, quarum fortasse auctoritate , qui Manutius erat, se
 Mannuccium nominauit: ego non tam facile à communi La-
 tine loquendi usu discedam , vt indistincte Suo pro Eius , &
 Eius pro Suo utar, quod miram potest efficere obscuritatem .
 Eodem primo sensu notaui, Pœnitendum statum minus Latini-
 ne dictum esse, etiam si sit vox à Liuio, & à Tranquillo usurpata.

Qua

Quæde re sic scribit Sigonius, Pœnitendum porro cu reiçut
 quid aliud faciunt, quam Liuium, Tranquillumq; reiçunt? quo
 rum ille dixit in primo; Sub haud pœnitendo magistro: hic in
 Vespasiano, Flavia gens Reip. hanc quaquā pœnitenda. At, vt at
 teri quoq; uiro doctissimo respōdi, Liuio obiecta est à Polione
 Asinio Patauinitas, id est, ut interpretatur Quintilianus, peregrini
 tas sermonis, & in nonnullis uerbis minus Latinū loquēdi genus.
 Sic enim apud Quintilianum libro i. scriptum est; Verba aut
 Latina, aut peregrina sunt . Peregrina porro ex omnibus pro-
 pe dixerim gentibus, ut homines, instituta etiam multa, uene-
 runt. Taceo de Thuscis, & Sabinis, & Prænestinis quoque. nā,
 vt eorum sermone utentem Actium Lucilius infectatur; que-
 madmodum Pollio deprehendit in Liuio Patauinitatem. & lib.
 8. Multos, quibus loquendi ratio non desit, inuenias, quos cu
 riose potius loqui dixeris, quam Latine; quomodo & illa Atti
 ca anus Theophrastum hominem alioqui disertissimum anno
 tata unius affectatione uerbi hospitem dixit: nec alio se id de-
 prehendisse interrogata respondit, quam quod nimurum Attice
 loqueretur. Et in T. Liuio, mira facundia uiro, putat inesse Pol
 lio Asinius quandam Patauinitatem. Hæc ille . Quamquam, ut
 hoc obiter notem , alia Patauinitatis interpretatio afferri po-
 test: Caius enim princeps Liuium, tamquam uerbosum infecta
 tus est, ut testatur Suetonius; & , quod uitium tacite notauit
 Pollio, cum eum dixit Patauinitatem redolere, id ipse expressis
 se mihi uidetur, uerbosum appellans. Nam Patauini solent es-
 se naturaliter eloquentes, & mirum est, quam sint in loquendo
 copiosi, quam uerbis abundantes, quam oratione fluentes . Id
 quod quamplurimis exemplis, tum ueteribus, tum nouis pro-
 barem, si ea commemorandi hic proprius esset locus, ex quibus
 prope innumerabilibus reticere tria clarissima eloquentia lu-
 mina non possum, alterum Equitem magnificentissimum, Spe-
 ronem Speronium, in omnibus quidem philosophiæ partibus,
 ac omni doctrinæ genere præclarissimum , sed præcipue tum
 in artificio oratorio elucentem, quo maximos hominum con-
 cursus ad se audiendum, maximisque admirationes solet excita-
 re, tum in scribendi ratione ita enitentem , ut suis in eo sermo-
 ne, quem sibi Etrusci nunc uendicant, ornatisimis scriptis, no-
 solum nullis eiusdem linguae scriptoribus inferior esse, pleris-
 que

ediscendus, tamquam Ciceronis imitator, tamen, si in copia, & splendore dicendi Ciceronem imitatus est, ob non nullam sermonis peregrinitatem minus fuisse Ciceronianus uidetur. quæ in non nullis uerbis obiici quoque Suetonio potest, quemadmodum etiam obiicitur stylus tenuis, & qui Grammaticum magis, quam Historicum sonet: & non solum Suetonio, sed etiam Columellæ, ceterisque omnibus, qui res pœnitendas dixerint. Tertium locum etiam secundo sensu minus Latinum appellatum non attingit Siganus. De quarto, cui similis est quintus, sic scribit: Eodem modo cum hortantur, ut ab eo dicendi genere, tamquam impuro, abstineamus; De quo est apud Herodotum, illum Xerxi respondisse; quid aliud hortantur, quam ut Ciceronem in Bruto impure locutum esse arbitremur? qui sic dixit; De quo sit memoriarum proditum, eloquentem fuisse, & ita habitum esse, primus est Cethagus. At hic locus uidetur dissimilis, si integer legatur in hunc modum; Quem uero extet, & de quo sit memoriarum proditum, eloquentem fuisse, & ita esse habitum, primus est M. Cornelius Cethagus. illud enim eloquentem fuisse, & ita esse habitum, referri debet ad illud, Quem uero extet, præterea hic locus non habet illum, uel Eum. Quare si non haberem, quod referrem illud, Eloquentem fuisse, sic explicarem; De quo hoc ipsum, quod simpliciter dicitur, hominem eloquentem fuisse, memoriarum proditum est, qualis potest uideri illa elocutio Logicorum, De quo prædicatur illud, Este animal, non, de quo prædicatur, illum esse animal, & hoc modo magis probarem, si dictum esset, De quo est apud Herodotum Xerxi respondisse, id est, De quo hoc ipsum Xerxi respondisse, est, & legitur apud Herodotum, non, illum respondisse. & De quo traditum est nihil putauisse, id est, De quo hoc ipsum nihil putauisse, traditum est, non, eum putauisse. Et, si darem esse similem locum, negari tamen non posset, tale loquendi genus esse minus, & rarius à Latinis usurpatum, cum unum tantum exemplum afferatur. De sexto loco sic; Quod autem iniiciunt se Latinitatis studiosi illud iudicandum relinquere; Laccenas matronas traditum est, occisis filiis vulnera inspicere consueuisse, ac, si aduersos uulneratos esse comperissent, latabundas funus ducere, eos que in auita sepulcra inferre solitas esse; contra uero, quos auersis

que autem superior cognoscatur, uerum etiam Latinis, & Græcis dicendi grauitate, & elegantia æquari merito posse uidetur: alterum Comitem perillustrem, Iacobum Zabarellam, maximum nostrorum temporum Philosophum, non solum in Philosophia publice explicanda, præcellentissimum, sed etiam in suis logicis operibus admirabilem: tertium non Doctorem, non Equitem, non Comitem, sed Doctoris insignibus, Equatu, Comitu quædignissimum, Io. Franciscum Musaptum, uere Musaptum, & Musæ aptum, qui cum in optimorum scriptorum tam Græcorum, tam Latinorum lectione perpetuo, assidueque uersatus sit, ac philosophiæ, omniumque optimarum artium insigni cognitione resulgeat: in eo tamen præcipue se excellere demonstravit, quod ad maximi Homerii uim, & maiestatem uerbis suis Græcis proxime accedit. Hanc autem nobilissimæ patriæ suæ proprietatem mire Liuius in historiâ sua fecutus est, ut omnia amplificauerit, omnia pluribus uerbis persecutus sit, omnia admirabiliter dicendi copia, atque illustri oratione legentium oculis subiecerit, & non solum in numero librorum copiosus fuerit, quos centum, & quadraginta conscripsit, uerum etiam in singulis libris conscribendis, & singulis rebus pertractandis, singularem, ac prope incredibilem orationis libertatem, & uarietatem adhibuerit. Cum uero ea sit ars tum laudantium, tum uituperantium, ut & ad laudem, & ad uituperationem uicina assumant, quasi eadem sint; & qui laudant, pro uictio nominent uicinam uirtutem, ut pro malitia, prudentiam, pro audacia fortitudinem, pro aceritate iustitiam, pro immanitate in uoluptatibus aspernandis temperantiam; qui autem uituperant, contrarium faciant, ut tradidit Arist. libro primo Rhet. Caius uolens Liuium uituperare, pro eloquente nominauit uerbosum; idque Pollio antea significasse uidetur esse proprium Patauinorum, dicens eum redolere Patauinatem, id est, illam loquendi profluentiam, quam Patauini à natura arripiunt. Iam uero, ut ad rem nostram redeamus, tamen si Liuius eloquentissimum se ostendit: tamen aliquot peregrinas uoces in Latinitatem inuehere uisus est, qua in re ipse fortasse potuit minus uideri Latinus, quam uel Terentius, uel Cæsar, uel Cicero, qui fuerunt optimi Latinitatis autores; ac licet à Quintiliano laudetur, & proponatur pueris

versis vulneribus concisos agnoscebant, ab iis refugientes, cles sepieliendos curabant, nec ullo prorsus honore funeris profundos statuebant; ac Curasse, & statuisse dicti oportuisse significant, quid aliud admonent, nisi, ut iudicemus, an Cicero in primo de Oratore Latine dixerit; Dici memini Iudorum Romanorum diebus L. Crassum quasi colligendi sui caussa se in Tusculanum contulisse. venisse eodem, sacer eius qui fuerat, Q. Mutius dicebatur, & M. Antonius homo & consilioru in Rep. socius, & summa cum Crasso familiaritate coniunctus. exierant autem cum ipso Crasso adolescentes, & Drusi maxime familiares, & in quibus magnam tum spem maiores natu dignitatis suæ collocarant, C. Cotta, qui tum Tribunatum pl. petebat, & P. Sulpitius, qui deinceps eum magistratum petiturus putabatur. exierant autem, id est, exiisse autem. & in tertio; Namque latus tum ei condoluisse, sudoremque multum consecutum esse audiebamus. ex quo cum cohorruiisset, cum febri domum rediit, id est, rediisse. Demetrii autem Phalerei praceptum est, afferre amplitudinem in figuris, si non in eodem casu maneat. idque probat exemplo Thucydidis. At ne hi quidem loci uidentur similes. Nam in primo illa varietas est maxime elegans; Dici memini L. Crassum: Q. Mutius dicebatur: exierant autem cum ipso Crasso. Nec poterat aptari, Exiisse, nisi subintelligeretur vox pluralis Dicebantur. In secundo autem interrupta est series uerborum per illud, Ex quo; nec poterat congruere vox Rediisse, nisi adderetur vox Eum. At in loco Consolationis sine ulla alterius uerbi subintellectione, & sine ulla additione optime quadrassent illa uerba, Curasse, nec statuisse; quemadmodum minus congruenter mihi uidetur dictum. Curabant, nec statuebant; quod debebat pendere ab illo; Lacenas matronas traditum est. Quod attinet ad Demetrii praceptum, amplitudinem quidem habet non in eodem manere casu, sed congruenter, ut apud Thucydidem lib. 4. historia rum, qui agens de Brasida Lacedæmonio fortissimo duce, non, ut scribit Petrus Victorius, alioquin uit sapientissimus, interfecto (ibi enim non narratur mors Brasidæ) sed tantum uulnerato ita, ut ceciderit in remigium, & clypeum amiserit, sic scribit; Et suum gubernatorem cum adegisset applicare nauem, perirexit ad pontem, & tentans descendere, percussus est ab Athene-

nibus: & sauciatus multis vulneribus animo defecit, & colapsus ipso in remigium, clypeus defluxit in mare. poterat igitur dicere. Defecit animo, & collapsus est in remigium, & amissus clypeum. Tamen per mutationem casus dixit; Animo defecit, & collapsus ipso in remigium clypeus defluxit in mare. Quod congruentissime dictum quam simile sit verbis, quæ leguntur in Consolatione, ubi deformis fieri casuum mutatio videtur, aliorum sit iudicium. Venio ad septimum, & ultimum locum; &, ut alia prætermittam, & aduersario concedam, obseruandum arbitror, in propositione videri aliquid desiderari, ubi legitur; Idq; si villo in casu contingit, certe, cum dolore affligimur, maxime solet euenire: intelligendum n. est, non simpliciter, cum dolore affligimur, sed cum ob mortem nostrorum. At demus istud excusari aliqua ratione posse: illud quemadmodum excusat semus, quod adhibetur vox Affinis pro quolibet propinquo? Sed hac de re aliæ. Video, n. mihi Lernæa cum hydra rem esse, ut quod plura errorum capita abscondo, eo plura mihi abscondenda suppululent. Mitto alia, quæ tamquam minus Ciceroniana ab alijs notata sunt, ne aliorum caussam arroganter velle agere videat, ut Consecraticem, Filium perdere, Turpidinem peiorem esse dolore, Metellum, ne in legem perniciosem iurat, in exilium abire coactum esse, pro Quod in legem perniciosem non iuraret, Dolorem cruciatum animi perpetuum, Inter solemnum verborum nuncupationem, Ne sacra dirimeret, Duodecimo foetu pro Duodecim liberis. Satis n. est, me monstrasse, quod, ut prius de verbis istius Consolationis iudicium meum confirmarem, initio orationis proposueram, cum elocutio in essentia artis oratoris continetur, quam præcipue M. Tullius profitebatur, in isto libro complures elocutiones adhibitas esse minus Tullianas, aliquot minus proprias, non nullas minus latinas. Reliquum est, ut ad ea, quæ in ipso priore iudicio notaui, quædam et grauiora, & firmiora adiungam, ut cum ea, quæ adhuc dicta sunt, alicuius esse ponderis, & non omitti demonstratum sit, tamen (uide, quid concedam) uel ipsis sepositis, nouorum tantummodo argumentorum claritate istud opusculum non esse Ciceronis luce clarius appareat.

କଣ୍ଠ ଶ୍ରେଷ୍ଠ କଣ୍ଠ ଶ୍ରେଷ୍ଠ

Bb An-



ANTONII
RICCOBONI.
 DE
CONSOLATIONE EDITA
 SVB NOMINE CICERONIS,
 Quarta Disceptatio.



L L V D uerissimum est, cum de incerta alicuius auctoritate uoluminis disceptatur, tria in primis exquiri solere; nū, qui dicitur auctor, uolumen ea, quæ fertur, inscriptione, conscripsit: num quā ueteres scriptores eius sententias, & uerba recitauerint, ex quibus ipse auctor agnoscit posit: num quid in eo hæreat, quod ab ea persona, quæ ipsum confecisse existimatur, alienū uideatur. Iam nemo est, qui dubitet, Ciceronem integro libro semetipsum de morte filij consolatum esse, qui inscriptus erat Consolatio Ciceronis. Quod attinet ad ueterum scriptorum testimonium, constat tantum auctoritate Plinij, Lactantij, M. Tullij ipsius, octo fragmenta, quæ ab illis citantur, & in hoc, de quo controuersiam, libro posita sunt, in M. Tullij fuisse Consolatione; quibus si cetera responderent, nihil esset, eur tantopere laboraremus, eaque ab aliquo imitatore interiecta esse suspicaremur. Tertium in controuersiam uenit, an hæc ipsa

ipsa Consolatio sit eiusmodi, quæ nihil à tanti maiestate scriptoris alienum contineat. Ego, n. multa affirmo esse talia, quæ Ciceroni tribui non debent. Aduersarij negant, & quidem ita negant, ut ea à nemine alio, quām à Tullio eodem modo scribi, diciq; potuisse contendant, & eorum etiam nonnulli, si Dijs placet, hoc ipsum opus ceteris omnibus, quæ ille doctissime, & ornatissime scripsit, anteponant. Id quale sit, quām breuissime, & quām planissime uideamus, atq; ex instituto nostro prius de rebus, deinde de uerbis agamus, quod & utile, & iucundū eloquentiæ studiosis fore, mihi persuadeo. Ac illud quidem ex Tusculanis disputationibus, & ex Lactantio certissimum est, disputasse Ciceronem in Consolatione de animorum immortalitate; deplorasse miserias huius uitæ; collegisse ad se ipsum consolandum clarissimorum uirorum exempla; consecrassæ filiam inter deas ad famam immortalitatis. Quem autem ordinem integrinuerit, Carolus Siganus, vir doctissimus, & eloquentissimus, ac doctrina, eloquentiaq; clarissimus coniecit, ut solet omnia, ingeniosissime, in Commentario, quem scripsit in fragmen ta Ciceronis de Consolatione; in secunda autem earum orationum, quas hac ipsa de re confecit, his uerbis expresst. In Consolatione primum mortem nihil habere mali ostendit, si animi cum corporibus interirent; deinde plurimum boni, si post eorum interitum remanerent; atque ita animorum æternitate firmata apte ad filiarum consecrationem accessit. In Tusculana uero contra; prius animorum immortalitatem, quām mortalitatem induxit, ac iudicia Deorum de morte ibi in principio exposita epilogo referauit, atque ita pro arbitrio suo fecit in ceteris. Ibi quidem tamquām orator, in foro caussam cum insigni aliqua orationis amplitudine agens: hic uero tamquām magister in schola, omnia spiritu aliquanto submissiore complectes. Hæc ille. Itaque in commentario diuinavit: in oratione diuinationē cōprobauit. In eo tantū à se ipso diuersus fuit, quod in illo Ciceronē, ut philosophū, semetipsum, quātū potuit, consolatum esse testatus est: in hac tamquām oratorem in foio causam agentem. Sed cum illud scripsit, non legerat Consolationem: cum hoc, legerat, ut melius de ea facere iudicium potuerit. Probe. At, quemadmodum ille tunc, ut fragmenta aliquæ ordinem haberent, ea ex ingenio ordinauit, non ita tamen, ut

iurare merito posset, nullum alium reuera ordinem, quemadmodum nonnulli illius sectatores asseuerant, nec seruatum fuisse, nec seruari potuisse: sic ego nunc, libere ut dicam, quod sentio, non minus eiusmodi ordinem, quam istam Consolationem suspectam habeo. Diuersam autem fuisse consolandi rationem, aperuit ipse Cicero in tertia Tusculana ad hunc modum; Sunt, qui unum officium consolantis potent, malum illud omnino non esse, ut Cleanthi placet. Sunt, qui non magnum malum, ut Peripatetici. Sunt, qui abducunt à malis ad bona, ut Epicurus. Sunt, qui satis putant ostendere nihil inopinati accidisse, nihil mali. Chrysippus autem caput esse censet in consolando, detrahere illam opinionem mōrenti, si se officio fungi putet iusto, atque debito. Sunt etiam, qui hēc omnia genera consolādi colligunt, alius enim alio modo mouetur. Hactenus ille. Possunt igitur omnes consolandi rationes in unum conduci, ut dicatur, primum illud, quod mōrent aliqui, non esse malum: deinde si sit malum, non esse magnum: inde ab huiusmodi malo animum reuocandum ad bona: tum nihil inopinati accidisse: postremo falsam esse opinionem mōrentium, dum se officio fungi putant iusto, atque debito. Exempli causa, morte non esse malum, sed potius bonum, cum animus sit immortalis, & immortalitas animorum maxime uirtute præstantium se piternam post mortem afferat felicitatem: atque si mors malū sit, dum morientes interdum anguntur, cruciantur, torquentur, id malum non esse magnum, quod & omnibus contingat, & angusto temporis spatio coerceatur: multaque esse bona, quibus se consolari mōrentes possint: & nihil improvisi, nihil inexpectati accidisse, cum humana conditio ea sit, ut omnia fere aduersa sint prouisa, & expectata, nihilque homini morte sit certius: præterea si mōrentes se officio fungi putent iusto, atque debito, & ob id ipsum uehementer mōrere, ac lugere uideantur, quod existimant mōrem suum, & luctum esse officiosum, pium, & debitum, eos in errore uersari, cum mortuorū causa, qui uirtutibus in cœlum elati sint, gaudere potius debeant, atque si sua potissimum causa doleant, & suo incommodo, quod suorum adiumento priuati sint, in eo potius iniustiam exerceant, quod omnia utilitate sua, Epicureorum instar, metiantur. His fere omnibus consolandi rationibus in sua se usum

99

isum esse Consolatione affirmauit Cicero in eadem Tusculana his uerbis; Ut fere nos opinia in Consolationem unam conieciimus: erat enim in tumore animus, & omnis in eo tentabatur curatio. Idem collegit triplicem in consolando medicinam ad hunc modum; Erit igitur in consolationibus prima medicina, docere aut nullum malum esse, aut admodū paruum: altera & de communi conditione vitæ, & proprie, si quid sit de bonis ipsius, qui mōreat, disputandum: tertia summā esse stultitiam, frustra confici mōrere, cum intelligas nihil posse profici. Videtur autem sub prima medicina primam, atque alteram consolandi rationem fuisse complexus, tum Cleanthis, qui ostendendum putabat, malum illud omnino non esse; tum Peripateticorum, qui non magnum malum: sub secunda, tertiam, & quartam, tum Epicureorum, qui abducebant à malis ad bona, & proprie de bonis eorum, qui mōrebat, disputabant; tum eorum, qui satis putabant ostendere, nihil inopinati accidisse, & de communi hominum conditione disserebat, quorum uita innumerabilibus miseriis proposita est: sub tercia ultimam, quæ fuit Chrysippi, ut opinio eorum, qui mōrentes, & lugentes se officio fungi putant iusto, atque debito, ostendatur stulta, propterea quod huiusmodi mōrere, & luctus proficere nihil poscit, nullumque aliud ipsi mortui officium, qui in cœlum ascenderint, requirere uideantur, nisi ut perpetua sui nominis memoria conseruetur, & ad immortalitatis famam consecretur. Hanc triplicem medicinam mihi verisimile est à Cicerone conformatam fuisse, sumpto exemplo ex eius ipsius Consolatione antea conscripta: in qua primum videtur tractasse primam medicinam, vt doceret mortem esse potius bonum, quam malum, ea potissimum ratione, quæ in prima quoq; Tusculana mirabiliter ornata est, quia animus sit immortalis; hēc enim est Ciceroniana ratio pluribus in locis usurpata, qua probatur, mortem esse bonum: deinde adhibuisse alteram medicinam, vt communem vitæ conditionem deploraret, à cuius malis abduci bonum eset, & suum quoq; casum multorum clarissimorum viorum exemplo mitigaret: postremo tertia medicina usum esse, vt officium suum mōrendi, & lugendi ad filiæ conuerteret consecrationem. Ego profecto hunc ordinem seruassim in ipsis Consolationis fragmentis ordinandis; atque, si in fingenda huiusmodi

esse turpisimum, & maxime vituperandum, nec naturam incū-
sādām esse, quod dī, quam dederit, vitam repeat: dicit se adiu-
ri philosophia: dicit Tulliam mortuam felicem esse, quæ suo cito-
parente in magna beatitudine sit fructura.

In quinque aperit dolores, & res aduersas non esse refugien-
das, quæ fortitudinem efficiunt: bona, & ea, quæ probantur in
vulgus, non esse tantoper appetenda, quæ molliores plerum-
que, ac deteriores reddunt: mortem esse ministram bonorum,
exemplo Catonis, Arthabani, Amphiari: doctrinam esse misera-
ram, artem miseram, ciuilem vitam miseram, exemplo Miltiadis,
Ephialtis, Cimonis, Themistoclis, Aristidis, Scipionis, Metelli,
Reguli, Marii, Brutii.

In sexta conatur probare, fugiendam esse vitam exemplo
Cleomenis, Theagenis, vxoris Asdrubalis: atq; in vniuerso ho-
minum genere summam saevitiam considerat: in singulis autem
hominibus, nihil esse admodum appetendum declarat, propter
instabilem rerum conditionem; vtiturq; exemplo Gorgiae.

Septima continet eorum exempla, qui suorum in mortem forti
animo tulerunt; ac enumerat Anaxagoram, Xenophontem, Peri-
clem, Harpagum, Dionem, Praeaspem, Q. Fabium, Puluillum, Pa-
ullum, Caium, Catonem, Martium, Crassum, Cæpionem, Pisonem,
Scæuolam, Marcellum, Metellum, Lepidum, Aufidium, matronas
Lacænas, ex Romanis Corneliam, Rutiliam, Clodiā, quibus om-
nibus addit Theramenem, qui fortiter mortuus est.

Octaua ostendit, ærumnas ab humana uita non segregari: cō-
memorat Metellum, Priamum, Crassum, Pompeium: exponit iu-
dicasse mortem esse beatam Brutum, Decios, Scipionem, Paul-
lum, Marcellum, Albinum, Gracchum.

Nona est de exiguo, vel nullo dolore mortis: tradit, non mor-
tem, sed admissorum scelerum conscientiam non nullos crucia-
re, cum bonilibenter moriantur; vt Q. Fabius, A. Pompeius,
Thalna: disputat de die homini præfinito, itatamen, vt liberum
hominis arbitrium locum habcat: iis præcipue nihil dolendum
ratio cinatur, quos oppedita cum laude mors consolari potest;
ubi multa sunt de laudibus Tulliae, ab eius fortitudine, & prudē-
tia duc̄tis.

Decima est de animorum immortalitate; adducit testimonium
Socratis: agit de uicissitudine rerum, & simul hominum; de ade-
ptione

di Consolatione iniuria temporum amissâ me exercuissem, eundi-
dem ex præscripto Ciceronis retinuisse; ac primum de immor-
talitate animorum disputasse, quod sine vlo meo dubio est
talis disputationis fundamentum, & pertinet ad primam medicinam,
vt demonstretur mortem non esse malum, sed bonum:
deinde de miseriis hominum, quæ ad secundam medicinam vi-
dentur pertinere: postremo de consecratione filiæ, quæ officiū
spectat mōrentis, & lugentis. Auctor autem istius Consolatio-
nis ordinem seruauit Sigonianum, sane ingeniosum, egregium,
& præclarum (non enim damno) sed non necessarium, vt primū
de misera hominum conditione, deinde de animorum immorta-
litate, postremo de consecratione Tulliæ disputaret. Cum ve-
ro consolandi medicinas ita permiscuerit, vt quid ad quanque
pertineat, non facile quisque possit diuidicare; vt singulas lib-
ri partes perpendamus, operæ precium videtur esse ipsum ali-
quo modo diuidere.

Prima enim pars prœcūmū continet, in quo auctor dicit, re-
centi morbo amissæ filiæ velle se adhibere medicinam, etiam si
id vident sapientes; & probat ægro animo se in primis, & omnes
medicinam adhibere debere; vtiturq; exemplo illorum, qui de
luctu minuendo conscripserunt, Theophrasti, Xenocratis, Cran-
toris, ex quibus multa ad se consolandum se collegisse fingit.

Altera est de miseriis hominum, vbi docet aduersos casas es-
se proprios eorum, testimonio Theophrasti, Xenocratis, Cran-
toris, ex quibus Crantorem sequitur: miseras recenset infantia, pueritia, adolescentia, constantis ætatis, senectutis: exponit
genera hominum esse misera, Reges, homines infimos, mediocres, præterea fœminas, & viros: concludit omnes in hac vita
miseros esse.

In tertia probat, mortem esse bonum, iudicio deorum de fi-
lis Argiæ, & de Trophonio, atque Agamede; exemplo Thracū
apud Herodotum; sententia Sileni; testimonio Euripidis, Cran-
toris: quæritq; an, quod mortem subsequitur, nos miseros effi-
ciat, & argumentatur, aut animum esse mortalem, aut immorta-
lem; atq; si sit mortal, eum lucrari quietem; si sit immortalis,
eum consequi felicitatem.

In quarta commemorat hominis conditionem mortalem:
contendit lacrymis nihil profici: probat dolorem immodicum
esse

ptione ueritatis post mortem; de dolore & metu, qui hominē perpetuo miserum efficit: repetit, quod superius disputatum est, non omnino dolorem, sed nimium dolorem improbandum.

Vnde cima est de consecratione.

Quod attinet ad proœcium, tempus quidem sumendum esse in uehementibus animi doloribus declarauit quoque Cicero in 3. Tusc. ad hunc modum; Sed sumendum tempus est non minus in animorum morbis, quam in corporum: ut Prometheus ille Aeschylī, cui cum dictum esset;

Atqui Prometheus te hoc tenere existimo,
Mederi posse rationem iracundiæ.

respondet; Siquidem qui tempestiuam medicinam admouens
Non ad grauescens uulnus illidat manus.

Verum auctor Consolationis se etiam in recenti morbo medicinam captiūrum esse, & domestica subuenturum calamitati profitetur. Cum autem in hac propositione duo dicat, suo se morbo medicinam adhibitum, & quidem recenti morbo adhibitum, contra quam uelint Sapientes; huius duplicitis propositionis debebat duplēcēm subiungere rationem: uel, si qua ratio erat omittenda, illam omittere congruentius poterat, quæ clarior esse uidebatur. Contra tamen fecit. probauit id, quod pro probatione minime indigebat, si o se morbo uelle medicinam adhibere, quia omnibus sit hominum morbis medicina adhibenda, quo quid notius, atque exploratius? illa enim ratio exprimitur illis verbis; Præsertim cum ad ægritudines, & molestias depellendas, &c. Omisit uero probationem eius, quod potissimum in hoc proœcimio erat probandum: cum uellet medicinam adhibere suo recenti morbo, etiam si id uerarent Sapientes. An uero id conuenit prudentiæ Ciceronis? Cuius rei rationem huic loco maxime congruentem, in loco minus proprio, & valde longinquo, atque alieno à proœcimio collocauit. Nam in quarta libri parte sic scripsit; Sed turpe, stultumque est homini, tanta, tamq; varia rerū cognitione instructo non à seipso potius in ture, quam sero ab vsu, & cogitatione doloris remèdia expectare. Profecto mihi verisimile videtur, Ciceronem in hoc ipso proœcimio hanc rationem fuisse illi propositioni addicarum. Quid? quod cum in eodem principio morbum suum esse recentem profiteatur, cui etiam contra Sapientum præscriptum mederi velit; postea tamen,

men, non fuisse recentem; cum se consolatus est, aperte testatur? Cum id faciat, videtur ne sibi constare? Audiamus verba eius: nihil n. dicam, quod non probem. In septima parte legitur ad hunc modum; Sensimus hoc in nobis ipsis; nec parum nobis obfuit hanc viuueram aduersus dolorem commentationē non multo ante animo, ac mente percurrisse. quamuis enim permultos philosophorum libros vel de luctu, vel de morte sat accurate legi lemus, vt Theophrasti, Xenocratis, al. orum, quos commemorare nihil attinet: tamen hoc non ideo feceramus, quod euenturum putaremus, vt ijs ipsis in nostro mœstre vteremur. Itaque neq; lectionem, quantum oportuisset, accuratam, nec memoriam satis intentam adhibuimus. Casu aut repentina oppresi non prius ad libros confugere potuimus, quin ante acerbitas vi prosterneremur. Quamquam postea tempore ipso factum est, vt nec dolor, vt antea, acrior, & mens ipsa paullo estet sedator, & ad medicinam accipiendo magis idonea. id est, cum recens fuit morbus, non potui medicinam accipere: postea vero morbo inueterascente, &, vt more Hippocratis loquar, concocto, & maturo, ac sumpto tempore in huiusmodi morbo, factus sum idoneus ad medicinam accipiendo. Quid potest illi principio videri magis contrarium? Quid magis repugnat Ciceronis grauissimo de se redditio testimoniō, qui in 4. Tusc. profitetur, quod vetat Chrysippus, ad recentes quasi tumores animi remedium adhibere, id se in Consolatione fecisse, naturaq; vim attulisse, ut magnitudini medicinæ doloris magnitudo concederet? Si hoc Cicero scripisset in principio, addisset ne illud in septima parte Consolationis? Haccine, ut ita dicam, contrarietas, hæc sine repugnantia Ciceroni quadrat? Profecto mihi non esse Cicero, qui tantope re sibi aduersetur, sed aliis, non, ut aiunt, Ciceronem maior, sed longè sanè inferior uidetur. Cogitandum autem est, quomodo cum superiorē sententia connexum sit illud; Nihilq; aduersi hominibus accidere solet in uita, quod aut improsum, aut inexpectatum uideatur. Debebat enim potius ipsam augere: & tamen uidetur diminuere, & quodammodo infringere. Nam si nihil aduersi hominibus accidit improsum, & inexpectatum, sequitur, nulla aduersa in opinione hominum, quæ in Consolatione debet attendi, esse recentia, & inopinata,

Cc sed

sed omnia, si non euentu ipso, at saltem ipsa hominum opinione, vetusta, & antiqua; quod quodammodo aduersatur ei, quod dicitur de recentibus morbis: nulli enim sunt recentes, quod ad hominum opinionem, cum omnes sint multo ante prouisi, & expectati. Itaque non se in nouo, & inopinato morbo animi consolaretur, ut aperite profitetur, sed in antiquitus premeditato, & opinato, contra quam videtur sentire. Accedit, quod, si omnia mala sunt prouisa, & expectata, ex huiusmodi consequitur preparatione, non esse difficilem Consolationem, contra quam significatur his verbis: Conemur tamen, si qua ratione possumus, mederi nobis metipsis. Fieri igitur minime potuisse arbitror, vt Cicero sic scripsisset: qui fortasse in aliquem similem modum scripsisset: Quamquam recentibus morbis medicinam perpurgantem adhibere vident Sapientes, omniaque aduersa, quae hominibus accidere solent in uita, quae que videntur noua, & inopinata, tempore ipso sunt maturanda, conetur tamen, si qua ratione possumus, mederi nobis metipsis, & domesticæ subuenire calamitati. Turpe enim, stultumque est homini aliqua rerum cognitione instructo, non a se ipso potius mature, quam sero ab usu, & cogitatione doloris remedia expectare. Si enim, quoties usu uenit, & quae sequuntur.

Veniamus ad secundam partem, & uideamus, an congruat Ciceroni. In ea de miserijs foeminarum sic traditur; Magna certè uel hoc uno nomine foeminarum miseria est, quod quadiu uiuunt, parere semper coguntur, aut enim innuptæ parentibus, & affiuis, aut nuptæ maritis parent, & seruiunt. Sic quod minus liberæ, eò magis miseræ, nec unquam liberæ, nisi è uita profectæ, ergo mortuæ beatæ censendæ erunt. Videatur igitur in hunc modum argumentum duci; Liberæ sunt post mortem, ergo beatæ. Tamen, ut taceam antecedens controuersum esse propter dubitationem de animorum immortalitate, quos qui esse mortales putabant, dixissent, si foeminae post mortem non sunt, ne liberas quidem esse; negari quoque potuisse consecutio: quia si ex conditione libertatis simpliciter sequeretur beatitudo, uiri omnes, qui conditione sunt liberi, propter libertatem simpliciter essent beati. quod falsum esse, quis non uidet? Non igitur mihi probatur, Ciceronem fuisse

fuisse hoc modo argumentaturum.

In tertia parte dicitur futuri post mortem temporis cura hominis propria non esse, sed Diis immortalibus potius relinquenda. At talis cura uidetur esse propria hominis, etiam si pertineat simul ad Deum. Nam animal hoc, ut inquit Cicero de legibus, prouidum, sagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis, & consilij, qui uocatur homo, ad uirtutem ea cura incitat, ut post mortem sempiterna beatitudine perfrauerit. quod pertinet illa adhortatio Africani Maioris ad Minorem in sexto Ciceronis libro de Rep. Sed quod sis Africane alacrior ad tutandam Remp. sic habeto, omnibus, qui patriam conservauerint, adiuuerint, auxerint, certum esse in cœlo, ac definitum locum, ubi beati æuo sempiterno fruantur. Quid? quod euimsodi cura adeo hominis propria est, ut per eam humanorum animorum immortalitas significetur? Maximum, inquit Cic. in 1. Tusc. argumentum est, naturam ipsam de immortalitate animorum tacitam iudicare, quod omnibus curæ sunt, & maximæ quidem, quæ post mortem futura sunt. & ibidem pluribus uerbis eam curam probat ex satione arborum, quæ alteri seculo prosint; ex legum, institutorum, Reip. constitutione; ex procreatione liberorum; ex propagatione nominis; ex adoptionibus filiorum, ex testamentorum diligētia; ex sepulcrorum monumentis; ex elogijs; ex auctoritate maiorum, ut Herculis, ut multorum, & magnorum uitorum, qui ob Remp. interficti sunt, ut Themistoclis, & Epaminondæ, ut sua ipsius, in quorum mentibus inhærebat quasi seculorum quoddam augurium futurorum, ut Ennij, ut Phidiæ, ut illorum Philosophorum, qui in ijs ipsis libris, quos scribebāt de contemnda gloria, sua nomina inscribebant. Quamobrem existimo non fuisse Ciceronem illum, qui dixit, futuri post mortem temporis curam hominis propriam non esse. In eadem parte uerba Socratis ex Apologia Platonis, quæ recitantur in prima Tusculana, ponuntur tamquam Ciceronis, paullisper tamen immutata, ut in secunda diximus disceptatione; quæ mihi certè non uidetur uerisimile Ciceronem sibi attributum fuisse, cum præsertim ex sua persona aliter locutus sit. Sic n. Socrates argumentatur; Aut morte sensus extinguitur: aut mors est migratio in alias oras. Primo modo, Admirabile lu-

gnare , & minime Ciceroni conuenire , qui quò magis filiam amabat,eò magis eius bono gaudere debebat .

Nunc uenio ad quartam partem , in qua sic scriptum est ; Quòd si nostrorum mortem dolemus , cogitemus aliquando , moriendum ipsis fuisse ; mortem autem incertam esse , nec in hōnis arbitrio positam, sed è deorum uoluntate pendere : quos uero lugemus ; eos quoque suorum mortem uidisse, patienter que tulisse, ideoque suo exemplo, quid nos facere uelint, præcipere . Quomodo autem licet hoc simpliciter dicere ; Quos lugemus ; eos quoque suorum mortem uidisse, patienter que tulisse ? Nam primum fieri potest, ut lugeamus infantes, & pueros, qui suorum mortem uidere non potuerint . Deinde non semper scire possumus, quos lugemus, eos suorum mortem patienter tulisse , cum plerunque fiat , ut in obitu suorum homines grauissime doleant, & conquerantur, ac mœroris etiam insignibus uententes , & mœstitudinem diutius præse ferentes , tardius se consolentur , quam ut exemplo suo in recenti tumore animi modum consolationis præscribant . Quòd si omnes progressu temporis consolationem capiunt, hoc non est, illud , quod queritur in præceptis, ut uelint, nolint, homines, tandem dolorem remittant, sed ut etiam sine temporis beneficio id faciant, cui rei non seruit exemplum illorum , qui tandem aliquando longo temporis spatio se consolantur . Tādiū enim, si sapimus, in dolore morari non debemus . Hæc digna sunt, quæ Ciceroni attribuantur .

In quinta autem parte , ubi ciuilis uitæ miseriae recensentur , inter alia exempla ponit Scipionis Africani minoris exemplum, qui ex eo miser celebratur, quod cum domum ualiidus se recepisset, noctu mortuus sit inuentus . Sic enim scriptum est ; Scipio Africanus apud nostros optimam caussam amplexus, paucorum immoderata libidine repugnans, mane mortuus in lecto est inuentus . Non ne ea de caussa debebat potius felix celebrari, si mors affert felicitatem, ut superius disputatum est ? Quare si sibi iste auctor constare uoluisset, inter miseros Scipionem non enumerasset, qui cum Remp. adiuuisset, auxisset, ornasset, quod erat optimum homini , est consecutus, ut cito moreretur . Id quod etiam Cleobi, & Bitoni, Trophonioque, & Agamedi euensis superius scriptum est . Non tam

facile

erum est mors, apud Ciceronem, Dij boni, quid lucri est emoriri? in ista Consolatione non expressum est Admirabile; infra, Lucrum equidem appello. Altero modo, Quod maius bonū sit hoc ipso? apud Ciceronem; Id multo iam beatius est. in Consolatione; Quid optabilius? Si igitur morte sensus extinguitur, & animus est mortal is, admirabile lucrum est emori, & hoc modo mors est bonum, perpetuam continens quietem. At Cicero in 1. Tusc. disputat, si animi post mortem non sūt, eos nihil posse esse, ita ne quietos quidem esse; cumq; per totam illam disputationem argumentetur, aut animum esse immortalē, aut mortalem, ac, si animus est immortalis, mortem esse bonum, si mortal is, nōn esse in malis, nunquam tamen dicit ex sua persona, si animus est mortal is, mortem esse bonum, & vt'ait Socrates, admirabile lucrum. Sat enim habet dicere, nōn esse malum. Si vero mors est migratio ad loca beatorum, id iam beatius est; οὐ γένεται, id est, uersari cum Orpheo, & Musæo, & Hesiodo, & Homero. Cicero conuertit οὐ γένεται colloqui, de qua collocutione, congressu, complexu sic legitur in Consolatione; Ad meos autem & affines, & amicos ut perue nero, quantopere lātabor? quæ iucundior collocutio, qui suauior, vel congressus, vel complexus? At Cicero ex sua persona id reprehendit ibi; Tantumq; valuit error, qui mihi quidem iam sublatu svidetur, ut corpora cremata cum scirent, tam enea fieri apud inferos fingerent, quæ sine corporibus nec fieri possent, nec intelligi. & paullo infra de locutione; Quod fieri, nec sine lingua, nec sine palato, nec sine fauci um, laterū, pulmonum vi, & figura potest. Quæ igitur fuerunt propria Socratis, Cicero sibi non tribuisset, cum præsertim aliquantum ab eius sermone dissideret. præterea in ea quoque parte scriptum est; Nam si amor, si pietas filiæ, si virtus, si grauitas, si constantia, si cetera, quæ vix in fœminis spectari, nedum requiri solent, consideranda sint; tanta facta iactura grauissime dolere debuimus.

Immo debuit Cicero maxime lātari, si verum est id, quod supra conclusum est, Mortem in beneficij loco tributam à Dijs immortalibus, ijs, quos maxime dilexerunt. Quare agnoscerre mortem tamquā bonum, & morte filiæ grauissime dolere, uidentur quodammodo inter se repugnare,

facile igitur Cicero iis, quæ ipse tradidisset, repugnasset.

In sexta uero parte sic legitur; Cleomenes Lacedæmoniorū Rex, eiusque filius, morte ultro appetita: præterea Theagenes Numantinus, qui, ne in hostium manus ueniret, primum suis, deinde sibi ipsi mortem attulit, quantopere uita fugienda sit, satis uidentur aperte declarasse. Huiusmodi ducitur argumentum: Appetuerunt ultro mortem. ergo uitam esse fugiendam iudicarunt. Quid? si consecutio negetur? appetuerunt enim mortem non simpliciter, ut fugerent uitam, quæ per se iucunda, & expetenda est, & idcirco ab Arist. lib. 1. Rhet. inter bona confessa numeratur, ubi traditur, bonum esse uiuere: si enim nullum aliud bonum sequeretur, esse rem per se electione dignam: sed ut miserias sibi imminentes uitarent, quas se ferre non posse arbitrati sunt. Itaque meo quidem iudicio non dixisset Cicero, uitam tantopere omib[us] animantibus charam, esse fugiendam, etiam si quandoque ex miseria hominibus accidant, ut multo potius moriendum, quam illas sibi tolerandas putent. præterea ubi probatur, neque genus ipsum hominum, nec ē toto genere singulos miseriarum expertes esse posse, hæc uerba sunt; Meritoque Dicæarchus in eo libro, quem de hominis interitu luculentum, & eruditum conscripsit, nihil habere dubitationis putauit, quin multo plures extincti sint ipsa hominum saevitia, & acerbitate, quam omni reliquo genere calamitatis. Hic celebratur miserum hominum genus ex eo, quod hominum crudelitate moriatur. At, si mors est bonum, ut superius conclusum esse saepè notauius (saepè enim illi dicto repugnat) minime graue esse debet hominum extinguiri saevitia, & acerbitate, qui dum crudelitatem exercent suam, potius bonum, quam malum afferunt iis, in quos exercent. Est igitur Cicero is, qui tam saepè sibi aduersatur?

Mirum autem est, quod in septima parte probandum proponebitur, qui sapientia præstiterunt, eos suorum morte etiam lætatos fuisse. id quod probatur exemplo Anaxagoræ, in hunc modum; Itaque sapientissimos homines accepimus, non modo suorum morte non percusso, neque dolore ullo affectos, sed etiam saepissime lætatos esse. Anaxagoræ inter fanib[us] suos de natura rerum differenti filii mortem nuntiatam tradunt: nihilque aliud ab eo respōsum, nisi se illum genuisse mortalem.

talem. primum scribit sapientissimos homines suorum morte saepissime non gauisos, sed lætatos esse, licet ex quarta Tusc. appareat, cum ratione animus mouetur placide, atque constanter, tum illud gaudium dici: cum autem & inaniter, & effuse animus exultat, tum illam lætitiam appellari, eamque ita definiri, sine ratione animi elationem. At, cùm scripsit Cicero Consolationem, nondum notauerat proprietatem gaudi, & lætitiae, ut illud in Sapientiæ caderet: hæc non caderet; ac huiusmodi uocibus quandoque abusus est. Ut placet: non repugno: eumque quamvis propretatis in loquendo obseruantissimum, & Stoicæ disciplinæ studiosissimum; etiam illam à Stoicis traditam tunc ignorasse, uel non animaduertisse, si lubet, concedo. Quid? quod sic argumentari uidetur? Anaxagoras respondit, se filium, qui mortuus erat, mortalem genuisse. ergo Anaxagoras morte filii lætatus est. Quæ conclusio est ista? Nonne sic ratiocinari aperte indicat Dialetica ignorationem? An uero hæc concludendi ratio congruit Ciceroni, qui à Stoico Diadoto, eo, quem domi suæ diutius habuit, & usque ad mortem eius retinuit, cum in aliis rebus, tum studiosissime in Dialetica exercitatus est, ut ipse in Bruto memoria prodidit? Miris autem laudibus effertur Pericles, qui mortem filiorum suorum mirabiliter tulit, de quo sic legitur in eadem parte. Fortem sanè hominem, & magna laude, æternaque memoria dignissimum, quem neque naturæ uis ad nimium saepè amorem trahens, potuerit de statu dimouere, & ad dolorem abducere, nec liberorum desiderium, quos tamen summe dilexisse dicitur, ulla ratione perturbarit. Non tamen tam constans fuit Pericles, ut de omnibus liberis suis, cùm mortui sunt, dolori resistere potuerit. Nam morte Paraliualde est conturbatus, ut testatur Plutarchus ad hunc modum; Nunquam tamen fatigatus est, sed illa animi magnitudinem inuictam semper à calamitatibus, infraetiamque conseruavit: nec eum flere, aut funus ducere, aut ad sepulturam alicuius necessarij accedere quisquam aspexit unquam, priusquam Paralo esset orbatus, qui ei ex legitimis filiis reliquis esset. In hoc autem inflexus animo parumper, tolere rare tamen suo more nitebatur, & solitam grauitatem, ac constantiam retinere. coronam etiam cum mortuo filio attulisset, aspectu ipso, doloris magnitudine superatus est: nam & flebilem

Amasis filium. Sed, vt ad rem redeam; de Prexaspe nequaquam mihi Cicero sic fuisse locuturus videtur.

Atque, vt ad octauam partem accedam, dum probatur, neminem esse, qui non modo miserias, & aerumnas ab humana vita segregare, sed ne semihoram quidem felicem sibi, ac beatam polliceri posset, commemoratur Metelli fortuna, ifq; in eo miser fuisse dicitur, quod tam multos nactus filios, & nepotes, cum maxime beatus esse posset, intuitus obierit. At si Cicero hanc Consolationem scripsisset, sine dubio, vt mihi persuadeo, recordatus fuisse, se probasse mortem in bonis esse, & in eo potius, quod mortuus esset, Metellum felicem celebrasset, & continuantem eam felicitatem, qua in vita perfrui visus est.

In nona vero parte ita legitur; Hoc diuinitus homini datum est, vt quoties molesti aliquid experiantur, tum mortem exoptent, ac votis etiam conceptis saepe implorent. Quid itaq; nra bonam, vtilemq; esse mortem, coguntur agnoscer, malam autem, aut acerbam esse nunquam posse, homin. à natura insitum est. Videlur sic argumentum duci; Dum molesti aliquid experientur, mortem exoptant, ergo mors est bonum. Quid? si id eueniat, non quod mortem esse bonum putent, sed quod in summa rerum desperatione versentur? erit ne bonum mors, quæ malum. malo addat, & ex misericordia infelicissimos reddat, ac deum quodam iter seclusum à consilio deorum illis præbeat? Accedit, quod apud eos, qui tempore Ciceronis putabant animum esse mortalem, mors non erat nec in bonis, nec in malis: quia animi post mortem si non essent, ne felices quidem, aut miseri essent. Quamobrem non existimo Ciceronem eo argumento fuisse versus, qui vtramq; partem spectare solet, non solum eorum, qui putant animum esse immortalem, ex quorum opinione colligit, mortem esse bonum, verum etiam eorum, qui mortalem, per quos concludit, mortem non esse malum; vt fere semper hac de re dubitanter agat, aut animum esse immortalem, aut mortalem. iste vero simpliciter scribit, bonam, vtilemque esse mortem.

In decima parte, ubi scriptum est in hunc modum; Nec vero credi velim, me, quia dolori nimio repugnem, idcirco dolorem omni ex parte improbare, omnesq; illius ex animo fibras euellenandas existimare; contenditur homini morte suorum mo-

Dd derate

Iem edidit uocem, & vim lachrymarum emisit, cum tale nihil unquam in reliqua uita fecisset. Hæc Plutarchus. Itaq; si Pericles aliquorum mortem filiorum æquo animo tulit, non perpetuam ea in re seruauit animi magnitudinem, cum mors Parali eum fregerit, atque abiecerit. Quocirca Cicero non sic simpliciter locutus est, vt nunquam dolori cessisse Pericles intelligeretur, sed dixisset, illum fortem fuisse in obitu nonnullorum liberorum, & desiderio ipsorum nonnunquam fuisse nulla ex parte perturbatum. De Prexaspe autem ex Herodoto hæc uerba sunt; At Prexaspes multo fortius: siquidem filij morientis, cum ferro traiiceretur, sine ullo prorsus dolore spectator fuit. Cambyses enim iratus, & ebrios, cum eius filium sagittis peteret, iamq; pectus reclusum appareret, patrem iussit inspicere, num cor percussum esset. cui cum pater respondisset, iam cordi sagittam esse infixa: tum Cambyses, numquid certam, inquit, habeo manum? at pater, nullo doloris signo dato, nec usquam conuersa, aut commota facie, ne Apollinem quidem, inquit, certiores sagittas enissurum crediderim. Hæc ille. Mihi vero minime videatur probari, nullum prorsus fuisse dolorem illius patris, qui tametsi nullum doloris signum dedit, nec quoquam (sic enim minus raro dicitur, quamvisquā, quod significare quandoq; ad locum, Valla uinico exemplo probat) concertit, aut commouit faciem, dum cogitaret, quomodo tantam uicisceretur iniuriam, atque, si ullum doloris lignum dedisset, timeret illius iram, magnuu tamen cepisse dolorem existimandus est. Accedit, quod lachrymas non effundere, quādoq; potest signum esse majoris doloris, vt in atrocibus, quæ filii patiuntur, in quibus patrum maiores sunt dolores, quam qui lachrymas continent. Qua de re sic legitur apud Arist. lib. 2. artis Rhet. Miserantur uero & familiares, si non ualde coniuncti sunt necessitudine. Erga hos autem, ut erga seipso passuros se habent. Quamobrem & Amasis in casu filij, qui ad moriendum ducebatur, lachrymas non effudit, ut aiunt: sed in casu amici, qui mendicabat, effudit. hoc enim est miserabile: illud vero atrox. Nam atrox diuersum est à miserabili, & habet vim pellendæ misericordiæ, ac saepe in contrarium uile est. Vbi obiter notamus, quod ab alijs quoque notatum est, Herodotum in Thalia, pro Amasi nominare Plamenitum

Amalis

nis fere quingentis deceim post Romanam conditam Liuius fabulam dederit? Non ne etiam constat ex Ciceronis libro tertio de Rep. Romanos non sat fuisse excultos, nisi spatio sexcentorum annorum? Ibi enim comparatur Romulus cum aliis Deis antiquitatis, & dicitur maiorem fuisse admirationem de Romulo, quam de aliis, quod alii fuerint temporibus minus eruditis, scilicet ante Homerum, & Hesiodum: Romuli vero aetas fuerit intra illos sexcentos annos, quorum spatio Romani exculti sunt: cœperunt enim apud eos exerceri litteræ, & doctrinæ, ut superius diximus, circiter annos verbis quingentos decem: vt, si mirum non sit, Romulum inter imperitos Romanos factum esse Deum, at certe mirationem afferat illud, quod tamdiu credita sit illa fictio, etiam temporibus iam excultis. Verba Ciceronis sunt, à S. Augustino recitata libri vigesimi secundi capite sexto: Magis est in Romulo admirandum, quod ceteri, qui dii ex hominibus facti esse dicuntur, minus eruditis hominum seculis fuerunt, vt fingendi procliuor esset ratio, cum imperiti facile ad credendum impellerentur. Romuli autem aetatem, minus his sexcentis annis, iam inueteratis litteris, atq; doctrinis, omni que illo antiquo ex inculta hominum vita errore sublato, fuisse cernimus. probat exemplis Patricius dictum esse, Minus his sexcentis annis, pro, Intra hos sexcentos annos, cum illa disputatio de Rep. habita esse fingatur an. ab V. C. 624. Quid? quod tametsi in sequenti fragmento tempora inter Homerum, & Romulum erudita appellantur, propter Græcos: tamen aetas Romanorum solum, cum de Rep. disputasse Scipio Africanus com memoratur, ex sensu superioris fragmenti intelligitur iam exculta? Cum enim antiquitas fabulas recepisset; illa aetas illis sexcentis annis iam erudita respuebat: & tamen non respuit fabulam Romuli; quod maxime fuit admirandum. Ex quo, inquit Cicerro apud Di. Aug. intelligi potest, permultis annis ante, Homerum fuisse, quam Romulum, vt iam doctis hominibus ac temporibus ipsis eruditis ad fingendum vix quicquam esset loci. Antiquitas enim recepit fabulas, fictas etiam non nunquam incondite. Hæc aetas autem iam exculta præscriptim eludens omnia, quod fieri non potest, respuit. Iam cum auctor Consolationis nominauit litteris, ac doctrinis excultos, non potuit Græcos desplicere, agens de illis, qui Romulum in Deorum numeracollo-

Dd 2 care

derate dolendum. Quid, simulate Cicero, moderate? immo vero nihil dolendum videtur, si ea, quæ superius de conditione mortis subtiliter disputasti, attendantur.

Iam perueni ad vndeclim partem, in qua dum disputatur, hominum non corpora, sed animos in cœlum elatos esse putari, illa probatio affertur; Quod de Romulo urbis nostræ conditore, memoriarum proditum accepimus; quem singulare in genus hominum collatum munus tam præclaræ urbis condendæ in deorum numero collocauit. At corpus quoque Romuli in cœlum ascendisse vulgo creditum est, qui cum ad Capreae paludem exercitum iustraret, nusquam comparuit. vnde inter patres, & populum seditione orta, Julius Proculus, vir nobilis, in concione iureiurando affirmauit, Romulum à se in colle Quirinali visum, augustiore forma, cum ad Deos abiret: eum denique præcipere, vt seditionibus abstinerent, virtutem colerent: futurum, vt omnium gentium domini essent. Huius auctoritati creditū est non solum de animo, sed etiam de corpore, quod mortuum non apparuit, vt sepeliri posset. Quare ædes in colle Quirinali Romulo est constituta. Ipse pro Deo cultus Quirinus est appellatus. Si igitur agatur de eo, quod putarunt homines, illa probatio Ciceroni minime congruens videtur. Melius autem ipse Cicero lib. 3. de Rep. non quod putaretur, sed quod verum esset, ages de Hercule, & Romulo in cœlum relatis, considerauit in hunc modum; Quorum non corpora sunt in cœlum elata. Neque enim negauit putari, sed esse in cœlum elata. Subiungitur in Cōsolatione; Idq; eo tempore, quo litteris, ac doctrinis homines exculti facile factum à germano, verum à falso secernebant; vt credi non possit, quidquam illis persuaderi potuisse, quod ullam ficti, aut falsi imaginem præ se ferret. O miram in antiquitate obseruanda negligentiam! Ita ne tempore mortis Romuli erant homines litteris, ac doctrinis exculti, quos ipse Romulus ex agris, & locis sylvestribus collegerat, vnde in Asylum omnibus patefactum receperat, in armis exercuerat? Nonne verum est illud, quod in præfatione primæ Tusculanae scriptum est, prioribus Reip. Rom. temporibus Romanos à Græcis doctrina, & omni litterarum gente superatos esse, quod in eo non repugnat; cumq; apud Græcos antiquissimum ē doctrinis sit genus poetarum, ipsos Romanos serius poeticam accepisse, quod an-

nis

intemperantiae argumenta, etiam, ut ait ille, seruuit Omphalæ, cum ipsa eum ad lanificium compulisset, & cum eo calathum, ac colum sagittis, & clava, leonisq; tegmine permutasset.

Quod si dicatur, Prodicum scripsisse, ut legitur apud Xenophontem li. 2. de factis, & dictis Socratis, Herculem, cum primū pubesceret, & duas cerneret uias, unam uoluptatis, alteram uirtutis, ipsiq; occurrisset uirtus, & *κακία*, id est, uitiofitas, quarum ultraque eum ad se allicere studuit, illam spreuisse, hanc elegisse, ut uirtuti deditus, à uoluptate auersus, quam propositam habet cupiditas, fuisse uideatur: respondebo illam fuisse fictionem Prodicu, quam secutus est Xenophon; idq; potissimum intelligendum de laboribus uirtutis, & fortitudinis, quos ille elegit, ac de nimio ocio contrario uirtuti, & fortitudini, quod ipse spreuit, non de Venereis cupiditatibus & uoluptatibus quibus maxime delectatus est; uel tametsi apud Xenophontem talis figura est, non tamen de eo ita simplicitet loquendum, quasi id apud omnes certum sit, sed exprimendum Herculem Xenophontem, uel Xenophontium, quemadmodum expressit Ciceron in epistolis, ut significetur eam rem apud Xenophontem fuisse fictam, etiamsi ab aliis aliter traditum sit. Nam, ut inter ceteros narravit Diodorus Siculus li. 5. c. 2. quinquaginta filias Thespiorum, uiri nobilis Atheniensis una nocte compresuit; &, ut uerbis eloquentissimi Mureti utar, quem unum longè bellissimum fuisse accepimus, longe salaciss. fuit, ut una nocte quinquaginta uirginum mellitam, ut Pindarus loquitur, herba totonderit; isque ad duodecim notos decimus tertius additur illius labor, quod μονονυχία πεντήνοτα θυνεῖ φάτο κούρασι. Accedit, quod, ut idem scriptit Diodorus, cum Megaram uxorem suam Iolao concessisset, mira cupiditate arsit, ut Iole Euriti filia in Oechalia dominantis potiretur: Augem filiam Alei Regis Arcadiæ, ad quem diuerterat, clam patre uiolauit, grauidamque reliquit: cum Deianiram filiam Oenei Regis Calydoniæ regni sibi matrimonio coniunxit, filia Philei Thesprotiorum regis, quam captiuam abduxerat, stuprum intulit: armis aduersus Philantum Dryopum Regem sumptis filiæ eius captiuæ pudicitiam eripuit: ad Ormenium Regem profectus eius filiam Astydamiam, quamuis Deianiram haberet, sibi dari uxorem petuit, eamque quam dare recusabat pater, captam stupravit: contra

cauerant, quibusq; persuaderi potuerat, illum factum esse Deū, cuinmodi suis solos Romanos declarauit Di. Augustinus ad hunc modum; Quis autem Romulum Deum, nisi Roma credit, atque id parua, & incipiens? Ut deinde posteris seruare fuerat necesse, quod acceperant à maioribus, ut cum ista superstitione in lacte quodammodo matris ebibita cresceret ciuitas, atq; ad tam magnum perueniret imperium, ut ex eius fastigio, velut ex altiore quodam loco alias quoq; gentes, quibus dominaretur, hac sua opinione perfunderet; ut non quidem crederent, sed tantum dicerent Deum Romulum, ne ciuitatem, cui seruiebant, de conditore eius offenderent, aliter eum nominando, quam Roma, quæ id non amore quidem huius erroris, sed cum amoris errore crediderat. Hæc ille. Nec posunt eo in loco Romani iam exculti intelligi, tempore Africani, quia sine dubio agi de illis videtur, qui primi Romulum consecrarunt, quibusq; primum diuinitas Romuli persuasa est. Romani igitur in re militari potissimum occupati præclaræ litterarum studia sero vel cognoverunt, vel receperunt, ut non nisi cum maxima reprehensione ille, quisquis fuerit, eos potuerit eò tempore, id est, cum mortuus est Romulus, litteris ac doctrinis excultos nuncupare; cuius auguratus lib. 1. de Divinatione pastoralis adhuc, non urbanus, appellatur, quiq; ibidem pastoribus dicitur præfuisse quemadmodum illi primi senatores à Propertio vocantur pelli-ti, sic,

Curia, prætextu quæ nunc niter alta senatu,
Pellitos habuit rustica corda patres.

Itaq; hic solus istius Consolationis locus, posse sufficere mihi videtur ad demonstrandum, istum librum, in quo ista tam negligenter scripta sunt, non solum Ciceronis non esse, sed ne Sigonii quidem (dicant multi, quidquid velint) veteris historiæ obseruantissimi.

De Hercule autem ita legitur; Quis Hercule fortior? quis prudentior? quis ab omni cupiditate remotior? Ego vero, cum dem Herculi fortitudinem, dem prudentiam, dem alia, quæ quis velit, quomodo eum fuisse ab omni cupiditate remotum dicam, non video, qui præter alia multa, quæ dedit, incontinentia, atq;

intem-

tra Eurytiliberos, ut Iolem sibi antea denegatam obtineret, exer-
citem duxit; cumque in monte Cineo sacra facturus Lycam
familiarem suum ad vxorem Deianiram misisset, ut ei uestem,
qua in sacris uti consueuerat, afferret, illa auditio amore in Iole
ardenti, cupiens se ceteris omnibus, ut par erat in amore præ-
ferri, tunicam tinxit, iuxta consilium Nesii Centauri, eius, qui
sagitta Herculis transfixus priusquam moreretur, fixit se eam
docere amoris medicamentum, & incautæ uxori modum inter-
ficiendi mariti commonstravit. Itaque cum Deianiræ sanguine
Centauri tinctam tunicam induisset, periit. Hæc Diodorus.
Quamobrem recte scriptum reliquit Cœlius ciuis meus, Her-
culem, quem mundi magnitudo uincere non potuit, libidine su-
peratum esse, & Omphalæ seruiuisse, id est, libidini, quod ὁμφα-
λος Græce significet umbilicum, & in umbilico libido mulie-
rum dominetur, omninoque uoluptarium fuisse, ut ab omni
cupiditate, cui modo notauius propositam esse uoluptatem,
alienus appellari merito non potuerit; neque illa attendenda
sint, quæ de eo quidam fabulantur, quæque idem Cœlius ridi-
cula appellauit, ad hunc modum; Fabulantur item Græcorū
plerique; Herculis statuam effigi solitam sinistra manu mala-
tria gestantem, quæ clava conquisiuisset dracone interempto,
id est, concupiscentia subacta; ita enim comparantur tria po-
ma, hoc est, iræ comprimuntur ardores, & habendi cupiditas
temperatur: ac denique uoluptatum sedantur titillationes, sinu-
osique, ac blandi superantur laquei. Leonis uero pellem nō
aliud fuisse, quam generosam uiri prudentiam, qua is circum-
munitus, obseprusque affectiones animi prærabidas exculca-
rit: Ita sapientem quandam, & summatem uirum Herculis no-
mine accipendum putant. Quod & in Floridis non ignoras-
se Apuleius uidetur, qui animi monstra ab illo philosophica
clava fuisse perdomita, nobis insinuat. Significat etiam in com-
mentatione Synesius. Hæc ipsa tamen, ut sunt, ridicula uiden-
tur multis, quando uoluptarium in primis Herculem intelli-
gunt. Hactenus Cœlius. Ut igitur illa multis uidentur ridicu-
la, sic mihi uidetur ridiculum, Herculem appellari ab omni cu-
piditate omnium remotissimum, qui fuit inter omnes maxime
uoluptarius, luxuriosus, & libidinosus. Est ne hoc dictum Ci-
ceroni tribuendum? Præterea traditur multos uirtute præstan-
tes

tes fuisse post mortem Deorum immortalium honore conse-
cratos, ut eo modo posteri ad uirtutem magis inflammaren-
tur. Sic enim proponitur quæstio; Atque haud scio, an recte
senserint uiri doctissimi, quorum ea fuit opinio, uiros claros,
& fortes idcirco Deorum immortalium honore consecratos,
ut incitaretur uirtus acris, & acuerentur uehementius ad obe-
unda pericula, qui patriæ amore, studioque tenebantur. Eaque
quæstio ita tractatur, ut illud conficiatur, animos ob unam uir-
tutem in cœlum ascendere, & in Deos referri, ut non, nisi qui
uirtute prædicti sunt, penetrare ad globos cœlestes, & ad Deorū
honores possint. Tamen paullo post uidetur id tribui uni na-
turæ animorum, cum sic legatur; Qui homine patre, uel mor-
tali matre natus sit, hunc esse Deum, & magnum quiddam ui-
deri potest, & dubitandi occasionem nec fortasse ineptam, mul-
tis afferre solet. non enim, si eximius talium uirtutum uirtuti
tribuatur honos, quin id iure sit, aut dubitare, aut negare quis
quam potest: sed, quod tantam uirtutis esse uim uelimus, ut uel
natura ipsa eius unius ope immutetur, hoc illud est, de quo quæ-
rere doctiores uiri non immerito soleant. quibus ita respon-
sum est, non immutari uirtute naturam, nec enim id, sine prio-
ris naturæ corruptione posse euenire; sed eadem in illis ma-
nente natura, euolare animum ad Deos, & in eorum adscribi
concilium, cum immortalis sit, & immortalitatis diuinæ parti-
ceps: corpus autem suæ natura mortale, manere in terra,
quodque terrenum est, nullo pacto suam exuere posse naturam,
ut alienam induat. Iam si per solam naturam, ut uidetur con-
cludi, animi in coetum deorum recipiuntur; quomodo per uir-
tutem, ut superiorius prolatum est? si per solam uirtutem, quo-
modo per naturam? At si propter utranque, id est, tum quia
animi sint immortales, tum quia uirtutibus ornati, cur id clari-
lius, dilucidius, magis perspicue, id est, magis Ciceroniane, nō
est explicatum? Quid? quod in communis omnium gentium,
& nationum consensu de uirtutibus ad immortalitatis famam
consecrandis, & diuino cultu honorandis, ea commemorantur,
quæ in hac materia reticeri fortasse debebant, bestias quoque
ipsas ferme omnes fuisse consecratas, & res multas inanimatas
in deorum numero repositas? An id proposito prodest, ut co-
gnoscatur, non solam Syros homines, ut ibi legitur, nec tanta
ingenij,

ingenii acie præditos, nec tantis doctrinarum præsidii instru-
ctos, pescem in cultu, ac Deorum opinione habuisse, sed etiam
Aegyptios omnibus affluentes eruditionis, & scientiæ laudi-
bus, ea consecrasse, quæ consecrare non debuerant, boues, ca-
nes, lupos, feles, pisces; immo uero etiam crocodilos, aspidas,
serpentes, ceteras feras, & immanes belluas; immo etiam cæ-
pas, allia, fructus ceteros, qui è terra oriuntur? præterea pru-
dentissimos Romanos sacris honoribus affecisse imbræ, & pro-
cellas? Ac Græcos quoque tam multis laudibus abundantes
audacter, & temere in Gymnasiis, ædibusque publicis coluisse
Cupidines; & Amore? At illa omnia reprehensa sunt: constat.
Sed nōne illis exemplis, quantū uis reprehensis probabile redi-
ditur, etiam res uirtutis expertes consecrari solere, quod est con-
tra propositum Ciceronis. Non ne melius si esset eiusmodi e-
xempla prætermittere, nec ingenium in eo reprehendendo ex-
ercere, quod quomodo libet commemorandum nocere aliquan-
tum huic causa uidetur; Verum iam satis nūlia de rebus.
Nunc ad uerba accedamus, eorumque nonnulla quām breui-
sime consideremus. Nam omnia, quæ notari possunt, comple-
ti nimis longum esset; idcircoque aliquot tantum præcipua
attingemus.

Illud, quod iu altero meo iudicio notandum mihi duxi, tam
uerum est, quām quod uerissimum, non nulla in ista Consola-
tione uerba adhibita esse minus Ciceroniana, quædam minus
propriæ dicta, alia minus latina. Ea nunc perimste obseruabi-
mus, ut ordinem Consolationis retineamus. In prima igitur
parte illud, Quorum extant satis iuxta, sane sapienter litteris
mandata, in primisque à Theophrasto, Xenocrate, & Crantore,
pro. In primisq. Theophrasti, Xenocratis, & Crantoris, uel pro
A quibus extant satis multa sane sapienter litteris mandata, in
primisq. à Theophrasto, Xenocrate, & Crantore.

In secunda; Nonnullis visum est, magnam esse senilis æta-
tis consolationem; prudentiam usi rerum quæsitam, pro. Non
nullis uisa est magna esse senilis ætatis consolatio, prudentia
usi rerum quæsita. Hoc enim uerbum Videtur hanc constru-
ctionem habere non puto, Videtur me esse diligentem; sed, E-
go uideor esse diligens. Nam si ponatur Me esse diligentem,
pro nominatiuo, oportet uerbum, Videtur, habere alterum no-
minatiuum,

minatiuum, ut utrinque nominatius sit: exempli gratia. Verū
simile quibusdam aliis uidetur, mihi non uidetur, hanc Conso-
lationem à Siganio conscriptam. Quod si citetur ille locus Ci-
ceronis in Oratore; Itaque video visum esse nonnullis, Plato-
nis, & Democriti elocutionem potius poema putandum, quām
Comicorum Poetarum; non videtur esse simile. Vt enim re-
gē dicitur, Putandum est elocutionem esse poema: sic Videtur
putandum, Visum est putandum, Video visum esse putandum.
Iam dicamus, Visum est prudentiam esse Consolationem; Vi-
sum est, verbum erit. Vbi nominatius? Prudentiam esse Con-
solationem. Igitur, Prudentiam esse Consolationem visum est,
quid tandem? oportet enim aliquid aliud sequi. An vero illud
verbum ponitur tamquām impersonale, quemadmodum, Pla-
cet mihi Carthaginem non esse, aut quemadmodum Dicitur,
Fertur, Nunciatur? Sed ubi nam verbum Videtur apud bonos
scriptores ita positum inuenietur? Defenditur ne hæc elocutio
Gellij auctoritate? qui sic scribit lib. 2. cap. 4. Nimiris quidem
est in verbis C. Basili ratio imperfecta, vel magis inops, & iei-
na. Sed videtur eum significare velle, idcirco dici diuinationem,
& quæ sequuntur. At tanti Gellium non æstimo, vthic eius so-
loçismus mihi posset esse canon Latinitatis. Præterquām quod
in voce Eum potest esse mendum, vt legendum fortasse sit Eam
scilicet, quæ statim nominatur, diuinationem. Illæ autem Plau-
ti elocutiones, in Epidico, Videor me vidisse. & in Aulul. Vo-
cem me audire visus sum; nihil ad rem: excusantur enim verbo
græco θων, & sunt in persona prima, & alijs excusari modis
possunt. Iam ad alia veniamus. Cur non doleat optime etiam
perficere non posse, pro, se optime etiam perficere non posse.
Magni constet victoria, pro, Magno constet. Sua pacate pos-
sidentem, nulla hostium incursione vexatum, pro eo, qui vexa-
tur. Tam imo loco collocauit. Tam cum superlatiuo, quod
nunquam legi, nisi cum Quām, tam, copulant, aut hoc super-
latiuum per comparatiuum declaratur, cum Quanto, tanto:
vel Quo, eo: vt Quām estis maxime potentes, tam vos maxime
&c. possit fortasse tolerari, si superlatiuum haberet vim positi-
ui, vt Tute scis ex illo, quām intimum habeam te, idest, quām
charum. Interdum etiam præferatur, de sensu malorum, quæ
bonis præponderent, & bona superent, Affines improprie pro-

Ee omnibus

omnibus propinquis, & cognatis. Affines enim proprie sunt, qui cum ante propinqui non essent, facti sunt propinqui per suorum nuptias, ut ipsum matrimonium sit principium affinitatis, & cognati vxoris fiant affines cognatis viri, quasi ad fines, & terminos cognitionis perduci. Exempli causa, P. Crassus non erat propinquus Ser. Galbae oratoris; at C. eius filio filia sua collocata, cum eo affinitate sese deuinxit, ut scriptum est de claris oratoribus. Itaq; solet Cicero distinguere affinitatem à cognitione, quemadmodum cum scripsit de finibus; Serpit sensim foras, cognitionibus primum, tum affinitatibus, deinde amicitijs, post vicinitatibus, & de orat. Cognitiones, affinitates. At in hoc libro nominantur indistincte affines pro omnibus propinquis, agnatis, & cognatis, ut affinitas sit tamquam genus omnis propinquitatis. In eadem secunda parte; Ex parentum, fratribus, sororum, affinium interitu, idest, ceterorum omnium propinquorum. Aut enim innuptæ parentibus, & affinibus, aut nuptæ maritis parent. & in tertia; Cur liberis, & affinibus diuersum? Ad meos autem & affines, & amicos, ut peruenero. & in quarta; Siquid est, quod morientes perturbet, aut morientium affines habeat sollicitos. & in sexta; Angamur liberorum, & affinium interitu. & in septima; Erepti vel amici, vel affinis, vel filij cogitatio. Hoc non ad amicos, aut affines, quorum dolere videamus interitu, sed ad nosmetipos pertinebit. Qui non affinitate, aut benevolentia, sed ex vna proueniat utilitate. Nos in filiorum, aut affinium morte lugebimus? Præterea in secunda; Vinculo conglutinatus. pro, astrictus.

In tertia; Credamus sane Apollini Delphico, qui exoratus à Trophonio, & Agamede, à quibus templum magnifice Apollini exædificatum Delphis erat, ut quod eslet optimum homini, tribueret, post diem tertium exanimes sunt inuenti. Illud, Qui exoratus, exanimes sunt inuenti, quam Latine, & congruenter sit dictum, cogitent quæso illi viri doctissimi, qui in ista Consolatione plus nimio connuentes audent etiam dicitare, tā Latine, tam pure, tam emendate locutum esse auctorem eius, ut nulli hoc tempore nec in Italia, nec inter alias gentes, & nationes reperiantur, qui tam recte loqui potuerint. Nec credo sapientissimum Sigonium sua casuum mutatione, Demetrij Phalerei testimonia confirmata, posse satis hunc locū defendere, & excusa

re,

re. In eadem parte; Cur affinibus diuersum? Videtur potius plere hodiernas scholas, quam Ciceronem. Fatis concessisler, pro, mortuus est: quod Plinianum, non Ciceronianum est. Ne hic ad molestiam, doloremq; alēdum angulus relinquatur, pro, Ne huius argumentis vis, quæ posset molestiam, doloremq; alere, declinetur. Angulum obijcere, pro Ansam præbere, vel locū, quò tuto se quis recipiat, aperire. Obstringere nobis morte argumētis, pro Argumētis probare, morti nos esse abnoxios.

In quarta patte; Morte nihil humanius, pro, Nihil homini conuenientius. Etenim Humanus, cum sit comparativum, aut superlativum, videtur benignum significare, præcipue apud Ciceronem. Libenter abhorere. Quis vñquam Libenter cum huīsmodi verbo posuit? an vero dicetur ēt, Libenter timeo, Libenter formido, & similia? Statim eorum consuetudinem regulabimus, & ad suauissimam vel consuetudinem, vel conuictum redibimus. Quid ineptius hac Battologia? Videor apud Ouidium audire Battum ipsum, cum Mercurio de bobus percontanti, Sub illis Montibus, inquit, erant, & erant in montibus illis. Voce deniq; ipsa, & orōne frui. Vtimur voce, vtimur oratione, non fruimur, nisi si in alio aliquo nos ea delectet. Tam multis ex aduerso miserijs oppressa hominis natura, pro, Ex altera parte. Pharmacorum genera multa, pro, Remediorum. Siquis tibi in morte sensus est. Inepte, cur videris de ea re dubitare, quam tamen ipse tamquam certam probas? Sed vt hoc mittamus, In morte dictum est, pro, Post mortem. Sic in decima, Vige animum in morte. Apud Isocratem in Euagora est: οὐ τοῖς εἰσιν αἱ θεοὶ τοῖς τετελευτικοῖς, non aut τοῖς τετελευτῶσι. Non ne In morte, significat, In moriendo? At illa erat iam mortua.

In quincta; Mortem esse bonorum ministram, pro ea, quæ dat, aut affert bona. Cum Xerxes exercitus sui copias pene innumerabiles collacrymatus esset, pro collacrymasset. Lacrymor deponens etiam apud Ciceronem inuenitur. Collacrymor apud neminem aliū vñquam legi. Ne mortis suavitatem, quāta est, omni ex parte degustaremus. Si degustare est leuiter gustare, & attengere, quomodo ex omni parte? si ex omni parte, idest, penitus, omnino, plane, quomodo leuiter? Delectamur discentes, angimur ignorantes pro, discendo, & ignorando, quod naturam habet ablatiui. id quidem reprehendere non.

Ee 2 audeo:

audeo: sed hellenismum olere existimo , vt χαρω επιστενετο .
αχθομαι κακως ανονω & similia. Hac luce vtimur, pro, fruimur.

In sexta:Pati mutationem,pro,Immutari.Pati mala,pro,Incidere in mala. & in decima;Sterilitatem passa esse,pro eo,quod est,aliquando fructum non tulisse. At pati malum apud Ciceronem uidetur esse,non quocunque modo incidere in malum, sed uel bene ferre,uel contra.In eadem sexta parte ; Fœmineā mollitiem exuere. & in septima; In fœmineis animis. At Cicero tali uoce nunquam usus est,quamuis auctor ad Herennium scriperit,Fœmineum plangorem.Summa est ratio , & sapientia, humanæ necessitati imperare. Cur igitur si Cicero es, in epistolis dicis,Tempori seruire,id est, necessitati parere , semper sapientis est habitum ? Non'ne inter se contraria sunt parere, & imperare ? At quis unquam necessitati imperauit? Horatius adamantinos eam dicit clausos figere. Idem alicubi sœuā, Euripides *se p' a'*,Liuius ingens telum appellat,apud quem est & illud,Pareatur necessitati,quam ne dii quidem superant. Idē testatur Plato de legibus,& in conuiio. Quare non puto Ciceronem tantopere dissensisse à Platone, & à se ipso etiam discrepasse.

In septima; Neque filii morte nuntiata,pro,Ne filii quidem morte. In primo meo iudicio putaueram tria in primis fuisse Typographi errata,Traheaspas,pro,Prexaspes,qui commemoratur ab Herodoto illo, sœpius in hoc opusculo citato, quam prope dixerim in omnibus Ciceronis operibus. Præterea Misereatur,pro,Miseretur.& Iuuarint,pro,Iuuerint, Sigonius agno uit tantum primum errorem. at in hac reliquit parte; Tantum que potest impietatis odium,ut tyrannum extinctum,ac sœufissime excruciatum nemo misereatur . & in octaua ; Qui Remp. suo labore, suoq. sanguine,auxerint,iuuarint,seruarint. Quid ergo si non sunt errores Typographi, potest ne ita Latine dici ? Num credamus filii mortem honestam,ac pro patria suscepptam tali patri futuram fuisse iucundissimam ? & in octaua ; Num ei multo melius euenisset? Pro,Non'ne credamus? Nō'ne euenisset? At Dic̄tio Num in his locis est præposita interrogatio exigenti affirmationem:& tamen uidetur præponi debere interrogationi exigenti negationem: sic enim inter se distinguuntur,Num,& Non'ne,ut, Non'ne credamus? sine dubio.

Num

Num credamus ? Minime uero. Eos superioribus Græcis cōparare,pro,antiquis,& priscis. At superius uidetur significare ab ætate nostra non nimis remotum,aut etiam proximum. Ut nullum pene doloris paullo acrius indicium ediderit,pro,acris. Concionem de rebus à se gestis ad populum habuit. An uero poterat haberet in senatu ? Quis unquam addidit illud , Ad populum ? cum ipsum concionem habere sit orationem habere ad populum,seu ad multitudinem, ut Gellius lib. 13.c. 15. declarat ad hunc modum; Cum populo agere est,rogare quid populum,quod suffragiis suis aut iubeat,aut uetet. Concionem autem habere est uerba facere ad populum sine ulla rogatione. Nec me mouet illud Suetonii; In concione populi,cum uellet ipse fortasse distinguerem populum a militibus:præterquam quod,quid sit Suetonius ad Ciceronem , non ignoratur. Paullo post; Horrida tempestate,quod est ualde Horatianum,Horrida tempestas cœlum contraxit.& In congressu hostium duriuscule, pro,In pugna aduersus hostes. Quorum singuli,pro,Qui singuli,uel Quorum unusquisque.

In octaua; ueritas eluescit, pro , eluet. Eluescere autem est Di.Hieronymi,non Ciceronis.

In nona; Quoties moleste aliquid experiantur,tum mortem exoptent. & in decima; Quoties alium hominem quamvis alienum premi calamitate,atque ærumna uideat, crucietur animo. Quoties pro Quando,de quo sic Valla,Cicero fere nunquam utitur Quoties pro Quando,nisi addat Toties. Præterea in nona; Res communicat cum omnibus hominibus,pro,com munis est omnibus . Gratulari diis immortalibus de aduersis. Si gratulari,pro gratias agere, quis ita usus est ? si in sua propria significatione,quis unquam cuiquam gratulatur de aduersis ? & quomodo ea cadunt in deos ? Quibus maxime rebus egere sœpe homines solemus,fortitudo,& prudentia, hæ ita in muliere abundabant. Si spectetur uerbum Egere,dicendum est, Fortitudine,& prudentia: si uerbum Abundabant , uidetur abundare dictio , Hæ. Præterquam quod ponuntur homines pro uiris.Nam homines significant quidem tum uiros,tum mulieres: sed cum facienda est distinctio à mulieribus , nominantur uiri,non homines; vt,qui ita scripti,linguam, qua nunc Itali utuntur,secutus esse uideatur, in qua Huomini significant tantum

pere fouerunt, mihi que tam acriter reclamarunt, quod Ciceroni iniquus essem; quem tamen audire uideor sic merito conquerentem; Maximas quidem habeo gratias illis, qui uulnera meis operibus iniuria temporis, & librariorum ignorantia fœdissime illata, addendo, detrahendo, mutando sanare conati sunt, & uarios locos corruptos correxerunt, obscuros illustrarunt, difficiles ita diligenter explicarunt, ut maximum mihi lumen attulerint, & ornamentum. Maiores etiam illis, qui, cum multorum meorum uoluminum Romano labente imperio, atque oppressa saepius impetu barbarorum Italia, iactura facta sit, pulcherrimas meas reliquias dignitatis, atque honoris expertes, diuersissimis in locis, & quasi obscurissimis in tenebris diutius iacentes, in unum redegerunt, & confusa, ac permista, si non uere (id enim prorsus efficere non potuerunt) at saltem ingeniose, ut Lucidius, quantum fieri poterat, resulgerent, ordinarunt, me que quodammodo ab inferis excitarunt. Sed, ut libere agam, non magnas illis habere possum, nec debeo, qui ea mihi tribuunt, quæ nequaquam sunt tribuenda, dumque me locupletorem reddere student, illarum diuitiarum priuant fama, quibus affluere semper existimatus sum, ut doctissime, & ornatissime scripserim: qui ardore quidem amoris erga me singularis incensi sunt, sed, dum me plus nimio amant, odiosum reddunt, nimioque amore corrupti, faciunt, ut minus doctus, minus ornatus, immo uero etiam, si Diis placet, minus Latinus uidear: quem tamen aliis Latinis plerique anteponunt; qui denique amice sunt monendi, ut in meis tebus diiudicandis tantopere non conniveant, si ueri mei amici esse uelint. Quæ enim amicitia est ista, quæ me prorsus imprudentem, qui contraria, & repugnantia scripserim; prorsus Dialecticæ ignarum, qui absurde quædam concluserim; prorsus ueteris historiæ inscium, qui non bene memoriam temporum replicauerim, non bene antiquitatis monumenta excusserim; inani quadam celebrat imitatione? Quid porrò putidius, quid me ipso indignius, q[uod] non solum res, sed etiam uerba mihi parum congruentia attribuunt? O igitur fallaces, & inanes cogitationes meas, qui quotidianis laboribus, atque assiduis uigiliis tantum proficere me posse existimauerim, ut immortalem gloriam, quæ à sapientia, & ab eloquentia manat, mihi compararem, si tanta imprudentia, tanta

igno-

tantum uitios, sic etiam supra in sexta parte; Nisi turpe uideatur homines à mulierculis multo certe imbecillioribus fortitudinis exempla petere. Et in secunda; Fœmina non, ut homines, indagare possunt; qua maxime medeantur incommodis.

In decima: Eum qui sic doleat, ut recreari, confirmarique non possit, ne diuinum quidem numen horrere, pro, uenerari, & uereri. id mihi uidetur minus proprium, & superstitiosi, uel male consci: at hoc in loco accipitur in bonam partem.

In undecima; Eorum animi tamquam hominum de diis immortalibus, humanoque genere optime meritorum, in cœlum putentur elati. Quorum alias alio genere uirtutis omnes summis, & singularibus uel in ipsis Deos, uel in homines meritis præstiterunt. At non homines de Diis, sed Dii de hominibus benemerentur, eisque benefaciunt. Sine prioris naturæ corrptione, pro, interitu. Ima summis commutare. Videtur sumpnum ex illo Horatii. Valet ima summis mutare. Et ego multo mihi gratiorem, multoque iucundiorum congressum nostrum futurum intelligam, quam insuauis, & acerbis digressus fuit. Cum fit comparatio inter duo substantiua, quorum unuquodque suum habeat adiectiuum, comparatio directa usurpari non uidetur, id est illa, quæ desinit in O R, sed obliqua, id est, per Magis; ut Congressum multo magis mihi gratum, & iucundum intelligam, quam insuauis, & acerbis digressus fuit. sic per Minus, quam; ut, Intelligam minus insuauem, & acerbum digressum fuisse, quam mihi gratus, & iucundus congressus erit: aut, Non tam, quam; ut, Non tam insuauem, & acerbum intelligam digressum fuisse, quam mihi erit gratus, & iucundus congressus. Illud autem, Insuavis & acerbis, olere Horatium uidetur, apud quem legitur sat. 3. lib. i. sermonum; Habeare insuavis, acerbus.

Hæc habui, quæ de rebus, & uerbis istius Consolationis dicerem, plura sine dubio additurus (in hac enim materia non tam copia, quam modus argumentorum querendus est (si in his conuiescere, quamvis multis, illi noluerint, qui priori iudicio meo non contenti, & auctoritate grauissimorum quorundam uirorum, in primisque Caroli Sigonii, adductilibrum. Ciceronem indignum tamquam Ciceronis adhuc contra metanto

pere

ignoratio, tanta inscitia, tantæ fordes, in me possunt excoxitari.
Sed cessent, quæso, eum honorem mihi habere, quem nequam
quam mihi expertendum existimo. Contentus sum ea gloria,
quam satis amplam sum consecutus: modo, ne ipsa minuatur,
amicis meis curandum est: & non, dum eius amplificatio quæ
ritur, eiusdem potius diminutio, ac quasi interitus procuran-
dus. Sic merito conqueri Cicero uidetur. Quamobrem cum
& res ipsæ, & uerba in isto libro de Consolatione, parum co-
uenire Ciceronis sapientiæ, atque eloquentiæ uideantur; des-
inat tandem Sigonius, Patronus meus, maximum ingenium, &
singularem industriam suam in eo exercere, ut ipsum tamquam
Ciceronis defendat. Desinant alii quidam mihi negocium faces-
fere, nisi uelint non solum pertinacissimi prædicari, uerum sibi
quoque diem dici uiolata Latinitatis. Desinant omnes, qui mi-
hi hac ipsa in re aduersantur, adulterina pro ueris protegere;
&, quando tot Ciceronis libri iniuria temporum amissi, no-
bis à ueritate rerum omnium confeccrice restitui vix, aut ne
vix quidem uidentur posse, iis, quos habemus, qui satis multi
sunt, se ipso, ut debent, consolentur; nolintque desiderio uolu-
minum amissorum maiestatem magni Ciceronis subiectis, &
soppositis libris diminuere.

F I N I S.

Errata graniora sic corrigito: in leuioribus iudicium adhibeto.

Pag. 4. b. expugnatum. expugnatam. 36. a. peperint. pepere-
rint. 37. a. laudimus. laudibus. Carthaginenses. Carthaginenses.
40. b. non concitat. nos concitat. Dominiuri. Dominici. 61. b. stu-
deberent. studerent. 67. b. celebratam. celebraram. 75. b. cerce.
certe. 81. a. desumpta. desumptam. 86. b. Noc. Non. 89. a. si hoc lo-
co. sic hoc loco. 89. b. non dicimus. nos dicimus.

Registrum.

* A B C D E F G H I K L M N O P Q R S

T V X Y Z Aa Bb Cc Dd Ee. fol. 29.